

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 M
25



PETRI DE ANDLO,
Canonici Columbarienſis, Decretorum Doctoris.


DE IMPERIO ROMANO, REGIS ET AUGUSTI CREATIONE, INAUGURATIONE, adminiſtratione: officio & poteſtate Electorum; aliisq; Imperii partibus, juribus, ritibus & ceremoniis,

Libri duo:

AD FRIDERICUM III. IMP. Auguſtum antè ſeſquiſeculum ſcripti: & nunc primùm è Bibliotheca Palatinâ in publicum collati.

Cum Notis ampliſſimis
MARQUARDI FREHERI
Conſiliarij Palatini Electoralis.





ARGENTORATI,
Typis Joſiæ Rihelij Hæredum, Anno
M. DC. XII.



Imp. Cæſari
MATTHIAE AUG.
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHOEMIÆ REGI, ARCHI-duci Auſtriæ, Duci Burgundiæ &c.

B. R. N.



UUM NUPER AUSPICATISSI-mæ feſtivitatis, qua poſt unanimem Electorum ſuffragationem, Romanum diadema ſolemni ritu capiti tuo impoſitum acciperes, Imperator ſacratiſsime, ſpectator adeſſem; non magis exquiſita ceremoniarum ſeries, apparatus varii ſplendor, aurique & gemmarum armorumque fulgor, & tubarum tormentorumque ſonitus, oculos aureſque mihi feriit & præſtrinxit, quàm ſublimior illa cogitatio animum abripuit & detinuit: Non ſine præſente

Numine supero talia geri & conferi: Ut & multis unus imperet, non dico mortalibus, sed Regnis & Provinciis; & in tanta præstantissimorum Principum copia, eorum quorum ista curatio est, tàm citò in unum quasi ex compacto suffragia concurrant. Meritò igitur omnes pro tam selecto capite & justissima vota animo concipere, & palàm de tanta fœlicitate, quâ nihil in humanis rebus maius & celsius esse potest, venire gratulatum. Ipse quidem ut insolito quodam gaudio animum tentari sensi, ita nihil mihi potius esse debere constitui, quàm ut quo honestissimo possem munere instructus, quamprimum ad Majestatem Tuam aditum gratulabundus molirer. More non tàm à Persarum regibus repetendo, quàm omnium gentium animis Naturâ docente insito & congenito. Ut enim nulla tàm barbara non Deorum suorum aras & delubra aliquâ de suo deprompta facultatum particulâ honestare fas putat; ita qui à Deis superis proximi, Principes, veluti præsentia in terris numina, & cœlitum vicaria eiusdem cultus partem mereri. Quid credemus Cæsarem? quem solo Deo minorem etiam pia Patrum antiquitas, Publicæ lucis caput Philosopha sententia,

tentia,

tentia dixit. Itaq; certum mihi fuit, quamlibet potius temeritatis, importunitatis, imprudentiæ notam ſubire, quàm non aliquo quo liceret munuſculo, & debitum Majeſtatis Tuæ piæ gratulationis officium peragere, & Auguſtum ſtudiis meis patrociniū conciliare. Cùm autem eo ipſo fere temporis articulo hic De imperio Romano *ſcriptor non aſpernabilis, meâ operâ abſolutus exiret; vir ille, ut genere nobilis, ita doctrina pro æuo minimè vulgaris; & de argumento agens ut propriè tuo, ita majoribus tuis jam olim prædedicato: facile intellexi, non eſſe mihi porrò, quid facto ſit opus, diutius deliberandum. Eum igitur bonâ fortunâ repertum, & pro copia ornatum, Sacratiſsime Cæſar, veſtigiis tuis humillimè advolutus adduco & ſiſto: utq; benignâ manu acceptum, oculisq; leviter delibatum, in Auguſtæ Bibliothecæ parte, qua mereri videbitur, reconditum aſſervari jubeas, eius vicem ſupplex oro & obteſtor. Quod ſi impetravero, næ ille ſupra modum fœlix, atque adeo beatior meo judicio fuerit, quàm cum olim primitus Divo Friderico III. Imp. atavo tuo, inclytæ recordationis, opus ſuum addixit & inſcripſit. Nam poſtea neſcio qua fortunæ iniquitate ſuppreſ-*

ſus, & iam vix nomine cuiquam mortalium noſcibilis, planißimè interciderat. Tuæ Maieſtatis iudicio modò probatus, beneficio ſuſceptus, deinceps (ut vetus Poëta loquitur) Caneſcet ſæclis innumerabilibus. *Te verò, Maxime Cæſar, Tibi, Auguſtæ Coniugi, domui inclytæ, & (quod magis etiam tibi curæ eſſe ſcio) Imperio Germanico, Regniſq́ tuis, denique Patriæ & Reipublicæ, quàm diutißimè ſaluum & fœlicem vivere opto voveoq́.*

D. N. M. Q. Tuæ

MARQUARDUS FREHERUS
Conſiliarius Palatinus.

GLORIOSISSIMO
ET TRIVMPHANTISSIMO PRINCIPI, DOMINO FRIDERICO ROMANORVM IMPERATORI SEMPER AVGVSTO, VNGARIÆ, DALMATIÆ ET CROACIÆ REGI, AVSTRIÆ, STIRIÆ ET CARINTHIÆ POTENTISSIMO DVCI,&c. SACRÆ suæ Maiestatis subiectissimus PETRVS DE ANDLO, Alsatiæ oppido, agnomen trahens, Columbariensis Ecclesiæ Canonicus, inter Decretorum Doctores minimus, amplissimorum regnorum & ducatuum felicis semper prosperitatis augmentum.



OMANI PROGRESSVM IMPERIJ, ingentemq; loci & vrbis gloriam, Princeps orbis sacratissime, magni excellentesq; ingenio viri dictis scriptisq; magnopere celebrarunt. Germanorum verò, ad quos splendor migrauit Imperij, vel excellentiam meritorum, vel rerum gestarum gloriam quibus Cæsaream meruère monarchiam, tum quoq; maximè ea, quæ vel latissimis Iuris vtriusq; Codicibus, vel veterum patrum historijs de Imperialis celsitudinis maiestate sparsim leguntur diffusa, pauci admodum stylo complexi sunt. At nuper mihi in Bibliothecula mea paulisper otiosius residenti, multa quoq; & præclara de diuinarum & humanarum rerum scientia literis pertractanti, Teutonicum non immerito visum est decere laborem, illa ceu ex varijs floribus in vnum compingere opus: quo multis morem gererem, qui horum forsitan noticiam non haberent. Vnde ad sacri decus Imperij, honoremq; venerabilis & claræ nobilitatis viri, domini Georgij de Andlo Basiliensis ac Lutembacensis ecclesiarum præpositi, mihi inter mortales colendissimi domini, manum promptam papyro adieci. Illius nempe amplam & vetustissimam familiam pro necessitudine stirpis hanc paginam pro aliquanta etiam portione attinere existimaui: cum in ordine septem graduum nobilitatis, & basium quibus Romana fundatur potentia, & sua prosapia inter quatuor

militaris ordinis genealogias dignissimè connumeretur, & primò. In nullo namq; meam occupationem dignius detineri posse ratus sum, quàm versare calamo mundanarum omnium dignitatum culmen, illustrium quoq; Germanorum laudem: à quibus olim ecclesiæ orthodoxæ salus magna ex parte pendebat, & in sanctam Petri sedem ingens relucebat fides meritorum, profectoq; tam latè reluxit, vt nulla sit tellus, nulla insula, portus, aut maris sinus, ad quem Germanorum fulgidissimi nominis fama non penetrauerit. Quorum vtiq; virtute gestum est, vt inclitum Imperium summaq; rerum maiestas ex remotissimis Græciæ claustris migrando, cætera planè orbis despiciens climata, soli Germaniæ gremio insideret. Ad te verò, diue Cæsar, qui summi iam tenes sceptra imperij, & alta Germaniæ gubernacula geris, hunc meum libellum de Cæsarea monarchia potissimum inscribere volui, vt quod mea exilitas obnubilat, tua excellenti virtute & auctoritate fulgescat. Nusquam enim conuenientius Musa imperialis præconij, quàm coram summa potestate tua inferri poterit, vt auctoritate tanti nominis maiorumq; tuorum promotus gloria ad amplissimæ & felicissimæ famæ tuæ propagationem feruentius animetis, & ita maximorum gestorum tuorum adaugeas cumulum, vt in te vno & celebratæ quondam Germanicæ nobilitatis virtutem reuirescere, & antiquam triumphalis imperij laudem victrici dextera tua denuò restaurandam esse speremus. Ne autem serenissime Princeps, existimes velim, tantùm me in præconia Germanicæ nationis stilum erexisse; sed & in vitia quoq;, quibus imperij potentatus elanguit, inuectum: ne vel blandiri me patriæ crederes, vel virtute, quod suum est, neglexisse putares. Sed cum in minimis etiam rebus (vt in Timæo Platoni placet) diuinum præsidium debeat implorari, leuatus sursum oculis læta sic imprecor voce:

Æterne ô splendor, lux ô clarissima mundi,
Terrarum cælique sator. tu mitis ab alto
Prospice, diuinoq; opus hoc spiramine ducas:
Cæsaris vt magni non ingratum auribus adsit.
Teutonicæ rauco canimus modulamine laudem,
Imperijque sacri varium per tempora cursum.
Austria stella micans quod suscipe, maxime Princeps.

CAPI-

CAPITA LIBRI I.

LIBRI II.

PETRI

PETRI DE ANDLO DE IMPERIO ROMANO LIBER PRIMVS.

De primæua principatuum & dominiorum origine.

CAPVT I.



EX ÆTERNVS ET IN SÆCVLA gloriosus, cuius ineffabilis altitudo prudentiæ, recti censura iudicij, cœlestia pariter & terrena disponit, à principio cœlum & terram, angelicamq; & humanam naturam creauit. Ad humani quoq; generis regulationem legem prodidit naturalem, quæ ad regimen concreati hominis, iuxta creatoris primæuæ dispositionis statum, sufficiens erat: cum ipse rerum omnium opifex non nouerit imperfectum. Qua quidem lege omnia tunc erant communia, cunctorumque hominum vna & indiuisa possessio fuit. 1. Dist. ius naturale. et 8. Dist. quo iure. manebatque eo tempore cunctis mortalibus inconcussa libertas, nec quisquam sciebat à consorte suæ naturæ obsequia seruitutis exigere. c. 6. Dist. 35. Tunc quoque & ipse Deus humanum genus, vt plasmator suam creaturam, rexit per se ipsum, illi præcepta viuendi dedit, præuaricationique pœnam inflixit condignam, vt Genes. 2. & 4. cap. in Cham & Lamech historia sacra testatur. Verùm multiplicato genere humano, cuius ætas ab adolescentia prona est ad malum, difficile erat in communione omnia o-

mnibus permanere, cum ipsa communio discordiam soleret parturire, vt L. cum pater. D. de legat. 2. Vnde placuit rerum conditori, vt occupanti terra concederetur quæcunque: Ait enim Deuter. 13. *quamcunque terram calcauerit pes tuus, tua erit.* Perductum est ergo tempus diuini regiminis vsque ad Noæ eximij patriarchæ tempora: quo deinceps Deus suas creaturas gubernare cæpit per ministros, quorum primus erat Noë, cui Dominus gubernationem arcæ, per quam præfigurabatur Ecclesia, commisit. Genes. 5. & 6. sibique non solum, sed & filijs postmodum suis, rectoriam in populo dedit & legem. Porro multiplicatis iterum post diluuium gentibus, plerique viribus suæ fortitudinis confidentes, à paternis solemnitatibus progressi, vi cæperunt infirmiores opprimere, & bonum omne despicere. Quo factum est, vt in libro de Officijs apud Tullium legitur Romanæ sapientiæ patrem, vt sagax prouisio populorum sibi deligeret iustum aliquem, virtute præstantem, cuius ductu & imperio contra aduersantium impressionem se defenderent, & indomitæ gentis malitiam iustitiæ legibus coherecerent. Vndè postea vbiq; terrarum secundum prouinciarum & linguarum diuersitatem regna, principatus, dominiaque terrarum adeò permissa, & passim iure gentium sunt introducta, vt habetur in L. ex hoc iure. D. de iustit. & iure. 1. distinct. c. ius gentium. Nec attinet, quod Cham ille maledictus, & Nemroth, primi in orbe principes, fastu superbiæ elati viribusq; confisi, gentis suæ principatum non electione, sed oppressione vsurpabant primi, vt recitatur 6. dist. c. his itaque. Horum nempe dominatus, qui iuxta philosophos tyrannis dicendus est, non ab ἐπιείκεια matre virtutum, sed radice omnium malorum cupiditate sumsit exordium. Post lapsum ergo primi omnium parentis, & diuinam pariter naturalemque legem præuaricatam, in statuq; miseriæ dominatus mundi exortus est, quem tantopere animus mortalium adipisci desiderat. In statu quippe originalis iustitiæ, intraq; paradisiacæ amœnitatis vireta, nullus vnquam huiuscemodi vel regalis vel despoticus principatus fuisset futurus: cum principatus despoticus pœnalis sit,

sit, seruitutemque subiectam habeat: & regalis propter directionem pacis & iustitiæ, dissentiendique facilitatem, quæ in politica multitudine esse solet, à nationibus sit adinuentus: quorum vtrumuis paradisi leges respuissent, cum ibi summa omnium hominum libertas animorumque consensio futura fuisset: licet politico quodam ordine & ibi prælatio subiectioque in disponendo & gubernando multitudinem fuisset euentura, non quidem dominandi libidine, sed officio quodam consulendi digerendique, secundum quod quisque ad influendum, vel influentias ab altero recipiendum, iuxta suæ naturæ merita dispositus extitisset. Fuit itaque solum naturâ corruptâ regimen necessarium regale: demta enim culpa omnes secundum rationem humanitatis æquales sumus, vt inquit textus in c. de Constantinop. 17. dist. Sed cum peruersi difficile corrigantur, & stultorum (vt est in Ecclesiast.) infinitus sit numerus, & multitudo quæ non ab vno regitur, dissensionibus frequenter laboret, fluctuetque absque pace: quamobrem congruum erat in gubernatione mundi eligere vnum, quo indomita multitudo virgá disciplinæ rigoreque iustitiæ regeretur. In cuius rei argumentum, gladius ille ante principem defertur sæculi, vt beati Apostoli ad Romanos verba testantur. Surgente denique propter dominandi libidinem inter gentes bellorum immanitate; præstantiores indignè ducebant, propter caduca rerum temporalium bona mortales inuicem cruenta gerere bella, humanumque profundi cruorem: & quo magis ab humana cæde temperarent manus, statuerunt vt qui iusto bello hostem potius vellet seruare quàm occidere, captus in seruitutem triumphantis transiret perpetuam. Quo iure dominatus despoticus, qui est domini ad seruum, mundo etiam primùm influxit.

An

An regimen mundi à summo rerum principe Deo, eiusque diuina dependeat voluntate.

CAPVT II.

CVm ab origine rerum æqua omnium hominum sit conditio, contraque ius naturale, quo cunctos mortales libertate potiri disposuit Deus, principatus dominiaq; terrarum ius dumtaxat gentium induxerit mundo: solet à nonnullis curiosis viris scholastico more in disceptationem venire, An huiusmodi dominatus mundi à summo rerum principe Deo, eiusque diuina dependeat voluntate. Et quidem in partem negatiuam differentes in medium afferre solent, quod antiquus ille Hebræorum populus, cum Deo peculiari esset amore dilectus, post infractam naturalem legem, vsque ad Saul primi regis Israhel tempora, diuina quadam dispositione non regulariter, sed politicè (vt sacris literis compertum habetur) gubernatus sit, sicut luculentius in hoc diuina voluntas ex 1. Regum 8. cap. deprehenditur: vbi Samuele confecto ætate, qui filios Israhel politicè & iudicauit & rexit, expeterentq; illi, aliarum instar gentium, regibus deinceps gubernari, dicentes ei in Ramatha: *Constitue nobis regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes*: consultusque desuper Dominus exasperatus respondit illi: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquitur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*: quasi regnare & principari sit rem diuini iuris vsurpare, diuinamque fugere subiectionem. recensuit quoque illis iura & leges regni, tyrannidis profecto & iniquitatis plenas. Solum denique reprobi & Deo nostro inuisi ab initio sæculi dominium in confratres vsurparunt, vt Genes. historia declarat. Accedit porrò ad hanc sententiam aliud diuinæ indignationis exemplum. Omnes nempe ferè primi orbis monarchæ dira morte interierunt. Ioram quippe à Iehu occisum viuum ictu sagittæ occubuisse, alios

verò

verò aliter miserè mortem obijsse historijs proditum sit. Quamobrem elicere volunt, terrena dominia diuinæ omninò contrariare voluntati. In aduersum verò tripartita emergit philosophica ratio, quibus mundi principatum ostenditur ab ipso summo Deo eiusq; diuina defluere voluntate. Omnis namq; principatus à Deo est, tum ratione entis, tum motus, atq; finis: quod hoc ordine elucescit. Omne quippe ens ex ente primo dependet, à quo originatur: & omne creatum in increato fundatur. Cum autem ens creatum profluat ab increato, necesse est etiam eius virtutem & potentiam, scilicet dominatum, ab illo procedere, dominiumq; creatum in increato fundari. Omne prætereà ens per participationem reducitur ad ens per se. Præsidentes autem dominio plus vigent in natura entis, quàm personæ priuatæ: cum gerant vicem quasi totius entis cui præsunt. Vndè Augustinus ait, illos diuinos mereri honores & duplicatos. Et ad Thimotheum Apostolus: *Qui benè præsunt*, inquit, *duplici honore digni habentur*. Quò ergo magis participant de natura entis, tantò quoq; magis ad suum appropinquant principium, plusq; de diuina participant influentia. Cuius rei exemplo est Saul ille regum Israël primus, quem mox vt per Samuelem assumtus esset in regem, insilijt Spiritus Domini, & prophetauit, vt 1. Regum cap. 10. legitur. Et Salomon ordinatus in regem diuinam meruit sapientiam. Claret illud quoq; & in quibusdam moderniori æuo principibus, quòd ex ampliori participatione entis singularem quandam virtutem in ægrotos habere dicuntur, vt de regibus Franciæ fertur, & Angliæ. Sequitur & alia ratione, dominium esse à Deo, in comparatione ad motum. Omne namq; quod mouetur, ab alio mouetur, & in mouentibus & motis (vt inquit Philosophus VIII. Physicorum) non est infinitum abire, sed est venire ad aliquod mouens, quod non mouetur; quod est ipse Deus. Cum verò domini in gubernando sint motores orbis, oportet sui regiminis motũ in Deum optimum maximumq;, veluti in principalem reducere motorem. In 3. de Trinit. enim Augustinus ordinem motoris de-

scribens, & mobilia ab infimo corpore, videlicet terra; ostendit omnia quæ suprà sunt, iuxta ordinem elementorum gradatim moueri vsq; ad supremum corpus vltimæ sphæræ: & vlterius in cœlesti hierarchia spiritus rationales inferiores per superiores. Tamen omnes creatos spiritus ab increato gubernari, in quo tota ratio motus entis et vitæ consistit. Ait enim Apostolus: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Si ergo à Deo omnis motus emanat, consequens est, vt & ab eo prouinciarum dominia tanquam à principali motore dependeant. Sic namq; se habet Deus siue prima causa (ait Philosophus XII. metaphys.) ad totum vniuersum, sicut dux ad exercitum, à quo multitudo tota castrorum dependet. Porrò inter cunctos motus plus habent de ratione motus Reges, Principes terrarum, tum multitudinem gubernando, tum iudicando, tum deniq; illam defendendo. Vndè Seneca in libro de breuit. vitæ ad Paulinum, exhortans eum ad contemtum mundi, sic loquitur de Cæsare: *Cum voles rerum omnium obliuisci, Cæsarem cogita. Omnium enim domus illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium vacationem illius occupatio.* Et subinfert: *Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, se sibi eripuit.* Siderum namq; more agere debet commendabilis princeps, quæ irrequieta cursus explicant suos. Qua de re & Papalis & Imperialis maiestas, pro quiete subditorum voluntarios se amplecti labores, & noctes quandoq; insomnes transigere profitentur, vt in proœmio VI. Decretal. Papa disserit, & Imperator Auth. vt nulli iudic. Collat. 9. & vt jud. sine quo. suffrag. in princ. Collat. 2. Est sanè & tertia ratione mundi dominiũ à Deo, ex parte finis. Diuina enim prouidentia, in quantum vnamquamq; creaturam mouet in finem suũ destinatum, in debitum finem deducit illam, sicut sagittam in determinatum signum: qua profectò ratione à sapiente dicitur, opus naturæ opus esse intelligens. Cum autem ipse vniuersorum dominus ordinatissimis quibusdam motibus omnia debito & ordinato fine concludat: consentaneum est, multò magis illum rationalem creaturam in finem optimum deducere velle. Quod quidem

per

per suos dispensatores prouisoresq; terræ motos, vt pote reges, principes, ecclesiarumq; prælatos, tanquam causas secundas, fieri disposuit. Debet nempe Rex ad id vires suas extendere, vt ciues dirigantur ad viuendum secundum virtutem, qui est finis legislatoris, vt 2. Ethicor. Philosophus ait. Ad istum autem finem peruenire impossibile est absq; motione diuina. Cæterùm finis mouere solet efficientem, & tantò efficacius, quantò finis nobilior atq; melior. Finis verò quem princeps principaliter in se & subditis intendere debet, æterna est beatitudo, quæ perfectissimum bonum. Sunt namq; atq; dicuntur mundi rectores Dei cooperatores, & vt instrumenta principaliter agentia. Hinc est quod cum Apostolus Corinthijs scriberet, non esse potestatem nisi à Deo, illicò subiunxit; *Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. 11. q. 3. c. resistit. Rursus quoq; per diuinam scripturam dicitur Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Et Dominus per Ezechielem, *Seruus meus*, inquit, *Dauid rex super omnes erit, & pastor vnus omnium eorum*. Princeps deniq; apostolorum Petrus fideles subditos exhortans ad suis obœdiendum principibus, eos alloquitur his verbis: *Subditi estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum*. quæ verba transsumptiuè ponuntur in c. solitæ. De maior. & obœd. Et eximius gentium doctor, *Omnis anima* (inquit ad Roman.) *potestatibus sublimioribus subdita sit*. & habetur in c. omnis anima. De censib. Quod intelligendum est de anima peccato subdita, vt not. gl. in c. magnum 11. q. 1. Proinde nequaquam ambigendum, dominia orbis terrarum à summo Deo eiusq; diuina defluere voluntate. Apertissimum quoq; illud est, à quo Christus rex & sacerdos in æternum vtramq; monarchiam, & spiritualem & temporalem, transtulit in Petrum vti vicarium suum. A primordio namq; humanæ creationis (vt suprà cap. prox. explicatum est) Deus mundum rexit per se ipsum, vsq; ad eximij Nohæ tempora. Et deinde per suos mi-

nistros humanum genus gubernatum est, quorũ rector primus populi Dei Noah erat. Ei autem vicarij successerunt Patriarchæ, Iudices, Reges, Sacerdotes & alij, qui pro tempore fuerunt in regimine populi Iudæorum: durauitque regimen illud vsque ad Christum, qui fuit naturalis dominus & rex noster, de quo Dauid regum omnium specimen canit in Psalmo: *Deus iudicium tuum regi da*: Et Esaias 33. *Dominus index noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Ipse autem Iesus Christus vicarium suum constituit Petrum & successores, quando ei dedit claues regni cœlorum, & quando dixit, *Pasce oues meas*. à quo Imperialis auctoritas, & deinceps ab Imperiali cætera regna, ducatus, principatus & dominia mundi subalterna quadam emanatione defluxerunt, vt luculentius infrà id nostræ paginæ series declarabit.

Quòd pro mundi gubernatione necessariò Principes gentium sunt instituti.

CAPVT III.

AD gubernationem autem orbis reges & principes necessarios esse, multis rationibus persuasum est. Cum enim naturale sit hominum in multitudine viuere, & diuersi diuersis præoccupẽtur negocijs: necesse est in omnibus esse aliquid, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque id quod est sibi proprium prouidente, multitudo in diuersa spargeretur, nisi esset aliquis in ea curam habens eorum quæ ad multitudinis pertinent bonum: quemadmodum corpus hominis & cuiuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiua communis in corpore, ad omnium membrorũ commune bonum intendens. Ait enim Salomon Hebræorum sapientissimus: *Vbi non est gubernator, dissipabitur populus.* Præterea sicut operationes rerum naturalium procedunt ex naturalibus potentijs: ita operationes humanæ ex humana procedunt voluntate. Oportuit autem in naturalibus, vt superiora mouerent inferiora

inferiora ad ſuas actiones, per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitùs: ſic oportet in rebus humanis, quod ſuperiores per ſuam voluntatem ex vi auctoritatis diuinitùs ordinatæ inferiores regerent, vt ſatis probat Thomas II. ſecundæ q. c. 4. art. 1. & gl. in clem. ad noſtram. De hæretic. Iſtorũ autem ſummorum mouentium vnus eſt ſupremus, & omnes alij ſubiecti ſunt motioni illius, & ſunt in illo quaſi membra de membro. c. ſignificaſti. De elect. Omnis verò humani regiminis & ſuperioritatis neceſſitas ex peccato prouenit. Semota namque culpa, omnes ſecundũ rationem humilitatis æquales ſumus. c. de Conſtantinop. 22. diſt. quod gl. ibidem exponens ait, *Omnes eſſent æquales, ſi omnes eſſent boni.* Sed quod facilitas humani generis ex libero arbitrio procliuè ad illicita prolabitur, neceſſe eſt eſſe aliquos, qui horum effrenatam cohibeant viuendi libertatem, & vnumquemque in ſuo iure conſeruent. Quod vtiq; onus principum humeris incumbere debet, qui ob id à Deo vocati ſunt, & Ieremiæ exemplo ſuper gentes & regna conſtituti, vt plantent & ædificent, euellant quoque dum neceſſe eſt, & diſſipent, totius rei publicæ curam gerant. Contrarium enim agentes, diſſipatores reipublicæ & tyranni verè vocandi ſunt, à ſedibuſque eorum longè propellendi: cum Reges propter regna, & non regna propter reges ſint inſtituta. Vnde reges apud Græcos (vt Iſidorus lib. 7. c. 26. etymol. ait) Baſilei vocantur, eò quòd tanquam baſes populum ſuſtinere debent. Culpa itaque omnis ſubiectionis cauſa eſt. Virtuoſi enim & boni legi minimè ſubijciuntur, vt Apoſtoli ad Rom. ſententia eſt, idemque glorioſus & inuictus ait Imperator in Auth. de inceſt. & nefar. recept. §. ſi ſermo. Collat. 2. & in canonibus eſt 19. q. 2. duæ ſunt leges. & in c. licet. De regul. Nec habet noſtra etiam ætate exercitium iuriſdictionis princeps in bonis, ſed in legis duntaxat tranſgreſſoribus, vt ibid. not. Quamobrem exigit humanæ conditionis peruerſitas, in terrena hierarchia eſſe diuerſos ordines, maiores videlicet & minores: aliter enim corrueret genus humanũ, nec ſtabilis foret permanentiæ omnis homo: inquit nempè text. in

c. ad hoc. 89. dist. vniuersitas creaturarum subsistere non posset, nisi magnus eam differentiæ ordo conseruaret, qui ad maiorem concordiam à Deo institutus est. dist. 45. c. licet. Nulla enim creatura in vna eademque qualitate & gubernare & æqualiter viuere potest, vt cœlestium militiarum exempla nos instruunt: quod dum in cœlesti hierachia sunt angeli & archangeli, throni quoque, dominationes & potestates, liquet profectò alios alijs ordine præesse vt potestate. Huiusmodi quoque dominatio atque prælatio (vt dicit gl. in præalleg. cap.) adhuc erit vsque in diem iudicij tantùm. Dicit namque Apostolus, *dum mundus iste durabit, homines præsunt hominibus, dæmones dæmonibus, angeli quoque & angelis: Cum autem Deus erit omnia in omnibus, cessabit prælatio omnis.* In futuro enim postquam homines, propter quos hæ modò sunt prælationes, ita confirmati erunt, vt nec augmentari nec seduci possint, huiusmodi prælatio necessaria non erit: non tamen ordo vel maioritas peribit. Erit enim tunc alter altero maior digniorque. In domo namque patris mei mansiones multæ sunt, inquit Saluator, & transumtiuè De pænit. dist. 3. c. in domo. non tamen præerit ibi alter alteri, vt nunc necesse est fieri. hæc gl. vbi sup. In ecclesia ergò militante necesse est quemlibet habere superiorem, vel quod Imperatorem, vel Papam: nec potest quisquam esse acephalos in hoc mundo. sed quoniam dominiorum origo innotuit, illa quam à summo maximoque Deo emanare, ad humaniq; generis gubernationem necessariò institutam fore declarauimus, ad primas orbis monarchias, illorumque exortum deinceps stylum vertamus.

De regnis & monarchijs primitiuis.

CAPVT IIII.

VT Ioseph libro antiquit. 1. Genesisq; litera historiam nobis texere videtur, à primordio humanæ creationis dispositum principatum aut huiusmodi alterius in alterum dominatum (vt

tum (vt suprà explicatum est) nullum reperimus: sed omnes homines hoc sæculi pasśim bestiarum more vagabantur, nullaq; lege, nulla societate, nulla deniq; humanitate regebantur, sed iure duntaxat naturæ viuebant. At genere humano multiplicato, cœperunt homines simul habitare: quod ex eo tempore (vt recitat tex. 6. Dist. §. his itaq;) factum esse putatur, quo Cain occiso Abel fratre suo profugus ad plagam Orientalem diuertens ciuitatem ibidem ædificauit, quam ab Enoch seniore filio Enochiam appellauit. Is enim (vt Iosephus narrat) primus simplicitatem, qua prius viuebant homines, ad inuentionem mensurarum & ponderum permutauit, integramq; eorum vitam ex rerum ignorantia & simplicitate ad calliditatem corruptionemq; perduxit; terminos terræ etiam primus posuit; ciuitatesq; constituit, & muris muniuit, illicq; suos coëgit conuenire domesticos, eorumq; dominum & principem se erexit; proximos etiam quosq; sibi adiacentes fratres cæde, rapinis, deprædationibus infestans, vt robustus viribus erat, timore sui anxit, viq; dominatu potitus est. Vetustū itaq; genus prædonum est, qui primum in orbe principem archique raptorem Cain auctorem habent. Tunc quoq; hoc tempore cœperunt homines iure gentium paulatim viuere: quo iure diuisæ sunt possessiones, distincta rerum dominia, contractus quoq; ciuiles, vt emtiones, venditiones, locationes & conductiones, & alij huiuscemodi introducti sunt, vt text. inquit 1. Dist. ius gentium. Quod quidem ius cum diluuio propter hominum raritatem penè videbatur extinctum: sed à tempore Nemrod reparatum existimatur, qui primus post diluuiū gentis suæ principatum sibi vsurpauit. Cum enim post aquarum diluuium Deus vellet filios Noë ad incrementum humani generis peruenire, dispersi sunt post diuersitatem linguarum, migrationes agentes vbiq;, & terram apprehendentes vnusquisq; felicem, & ad quam eos Deus adduceret, vt ita omnis terra per eos compleretur, mediterranea simul atque maritima: quidam etiam nauibus transeuntes insulas habitarunt. Vnde in generationibus suis Sem Asiam,

Cain Africam, Iaphet Europam obtinuisse dicuntur. Nemrod verò filius Thusi permanens apud Babylonios cum esset animo audax, manuq; fortissimus, tyrannidem exercuit, cæterosq; suæ ditioni subegit. Legitur enim de illo Genes. 10. *cœpit Nemrod robustus venator esse coram domino*, id est, hominum oppressor & extinctor: & transsumtiuè in prælleg. §. his itaque. Ab illo autem descendit Belus rex primus Babylonis & orbis. Nam etsi Babylonijs & exiguis adhuc populis dominaretur Nemrod, Belus tamen circumiacentes populos acriùs infestans paulatim, vt dominorũ est, sibi quos potuit, armis subegit. De Belo natus est Ninus, qui posteà bello & armis totam Assyriam fatigans, Assyriorum & totius quasi Orientis monarcha potentissimus & primus effulsit. Procedente verò tempore alia pedetentim regna vbiq; terrarum surrexerunt. Tempore quoq; quo Abraham egressus erat de Thara in terram Canaan (vt fulgentissimus ecclesiæ doctor Augustin. in 16. de ciuit. Dei recitat) eminentia erant regna gentium, in quibus terrigenarum ciuitas, hoc est, societas hominum secundum hominem viuentium, sub dominatu angelorum desertorum, insignius excellebat. Regna videlicet tria, Sicyoniorum, Aegyptiorum, & Assyriorum. Sed Assyriorum multò erat potentius atq; præstantius. Nam rex ille Ninus Beli filius, excepta India, vniuersæ Asiæ populos subiugauit. Asiam nunc dico, non illam partem quæ huius maioris Asiæ vna prouincia est, sed eam quæ vniuersa Asia nuncupatur: quam quidam in altera duarum, pleriq; autem in tertia totius orbis parte posuerunt; vt sint omnes, Asia, Europa, Africa. quod non æquali diuisione fecerunt. Namq; ista quæ Asia nuncupatur, à meridie per Orientem vsq; ad Septentrionem peruenit: Europa verò à septentrione vsq; ad occidentem. Atq; inde Africa ab occidente in meridiem. Vnde videntur orbem dimidium tenere Europa & Africa, alium verò dimidium sola Asia: quod quidem mare magnum, quod ex Oceano ingrediens terras interluit, nobis facit. In Assyria ergò præualuit à principio dominatus gentium, cuius caput Babylon. Ibi

lon. Ibi iam Ninus regnabat post mortem patris sui Beli 52. annos. Filius verò eius Ninus qui defuncto patre successerat in regnum, regnauit 52. annos, & habebat in regno 43. quando natus est Abraham : qui erat annus circiter MCC. ante conditam Romam, veluti alteram in occidente Babylonem. Vt autem instabilitas terreni potentatus mortalium oculis clarescceret, etsi potentissima esset Assyriorum monarchia, post tamen annos MCCXL. finem cepit, Medorumq; monarchia depost Orientem suis legibus submisit. Arbaces quippe Medorum rex de Assyrijs magnificè triumphans, illorum monarchiam ad Medos transtulit & Persas. Dignè profectò dixerimus, Medos orientis imperium meruisse, quos tantoperè in 2. de Offic. de iusto regimine commendat Tullius. Et Cyrus magnus ille Orientis monarcha, in principio Esdræ, potentatum suum à Deo sibi donatum humili professione recognoscens, *Omnia regna mundi*, inquit, *dedit mihi Dominus cæli & terræ*. Verùm etsi Medi hoc tempore orbi essent notissimi, paucis tamen admodum annis triumphalis gloria imperij apud illos quieuit. Etenim cum annis tantū CCXXXIII. regnassent Medi, Alexander Macedonum gloriosissimus princeps, Medorum atq; Persarum gloriam prosternens, primatum gentium in sua persona in Græcorum transtulit ditionem. Sed nec illic quidem durare poterat summa rerum maiestas. Duodecimo etenim anno imperij sui inuictissimus princeps & totius Orientis domitor, victor septentrionis, morte subtractus est, atq; eius obitu Græcorum pariter monarchia defuncta, vt Maccabeorum historia lib. 1. manifestat. At vero & hunc mundum per Romanum imperium gubernandum præuisiuo consilio dispofuit Deus, qua ex re gentium monarchia ab Oriente migrando in Occidentem, dehinc ad Romanos translata est. In his nempè quatuor, quas prælibauimus, monarchijs à diluuij temporibus mundi dominatus cucurrit, in finemq; temporum curret, nec aliqua deinceps monarchia post Romanā futura est. Quas vtiq; monarchias præfigurabat statua illa, quam (vt apud Danielem est cap. 2.)

C

Nabuchodonosor rex Babylonis somnians vidit in visione; vt Hieronymi & Augustini sententia est, qui eandem visionem ad has mundi monarchias sua expositione adaptarunt, volentes per aureum eiusdem statuæ caput, Assyriorũ intelligere regnũ; per argentea verò brachia & pectus, Medorum atque Persarum; atque pro ventre & femoribus æreis, Græcorum; pro tibijs verò ferreis, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus, Romanum & vltimum regnum designantes. Quarum sanè designationum rationes seriatim promerem: sed ne nimium à proposito pedem diuertam, ad Romanorum monarchiam, in qua principaliter mea versatur intentio, verba calamumque conuerto.

De exortu Romani imperij, & vario eiusdem progressu.

CAPVT V.

AGgressuro mihi Romani statum imperij, libet paulisper subsistere, & priusquam exortum illius pertingam, Albanum præmittere regnum siue Latinum, â quo processit Romanum: vtq; quibus illud procurrebat temporibus, innotescat, Israëliticũ quod his coætaneum fuit, connectere fas est. Postquam superis visum esset, ingentem Teucrorum prosternere gloriam, postque almæ Troiæ excidium, (quod Orosij chronica referente, & Eutropio, factum est tertio anno Abdon iudicis Israëlis, anno profecto CCCXXX. ante conditam vrbem) Aeneas dux Troianus, cum genitore suo Anchise, atque Ascanio filio, & multa nobilium comitiua, qui Troianam euaserant stragem, viginti nauibus alto pelago se fatisque committens, incertas exul quæsiturus sedes, primò in Thraciam, & deindè post ingentes terræ marisque labores in Siciliam tandem deuenit: vbi sepulto Anchise patre cum vela tenderet in Italiam, aduersa maris tempestate pulsus deuenit in Regnum Lybiæ: vbi à Didone regina adamatus, aliquamdiu remoratus, tum demum augurijs agitatus & fatis in Italiæ oras iter reflexit, prosperoque flatu in portum

portum, vbi Tiberis influit mare, applicuit. Cum autem Euander rex, qui tunc regnauit in septem montibus, vbi posteà Roma condita est, vidisset Æneam, hostem suspicatus, armis eidem occurrit. At pius Aeneas hoc cernens tulit manu virentis ramum oliuæ, pacis ostendens signũ more antiquorum. Quem Euander, vt innotuisset Troianos esse illos, quorum virtutis fama orbem totum penetrarat, benignè humaniterque suscipiens, ibi illum manere, finemque laborum capere rogitauit. Vnde procedente tempore Lauiniam filiam regis Latini, qui circa hunc locum non longè regnauerat, duxit vxorem. Qui Latinam linguam emendauit, & Latini suo de nomine appellati sunt. Quod quidem Latinorum regnum de Saturno, qui primus regnauit in Latio, computando, CL. annis ante aduentum Æneæ constitisse veterum historijs perhibetur. Rege autem Latino mortuo Æneas regnum Latinorum adeptus tribus annis regnauit, quo Hebræorum iudex fuit Samson, qui cum mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules. Et vt beatissimi Augustini in 18. de ciuit. Dei, verba recenseam, quanto Latinorum rege Syluio Æneæ filio non de Creusa, de qua Ascanius qui tertius ibi regnauit, sed de Lauinia Latini filia, quem postumum Æneas dicitur habuisse; Assyriorum autem vicesimo & nono Oneo; & Melantho Atheniensium sextodecimo; judice autem Hebræorum Heli sacerdote, regnum Sicyniorum consumtum est, quod per annos DCCCCLIX. dicitur fuisse porrectum. Mox eisdem per loca memorata regnantibus Israëlitarum regnum, finito tempore judicum, à Saule rege sumsit exordiũ, quo tempore fuit propheta Samuel. Ab illo igitur tempore his reges Latinorum esse cœperunt, quos cognominabant Siluios. Ab eo quippe quòd filius Æneæ primus est dictus Siluius, cæteris subtentis & propria nomina imponebantur, & hoc modò fuit cognomentum: sicut longè posteà Cæsares cognominati sunt ab Augusto Cæsare. Reprobato autem Saule, ne quisquam ex eius stirpe regnaret, eo quod defuncto successit Dauid in regnũ, post annos à Saulis imperio XL; post Dauid qui etiam ipse XL.

regnauit annos, filius eius Salomon rex Israëlitarum fuit, qui templum illud nobilissimum Dei Hierosolymitanum condidit. Eius tempore apud Latinos condita est Alba, ex qua deinceps non Latinorum, sed Albanorũ reges appellari, in eodem tamen Latio cœperunt. Salomoni successit Roboam filius eius, sub quo in duo regna populus ille diuisus est, & singulæ partes suos singulos reges habere cœperunt. Latium post Æneam, quem Deum fecerunt Latini, vndecim reges habuit. Auentinus autem, qui duodecimo loco Æneam sequitur, cum esset prostratus & sepultus in eo monte, qui etiam nunc eius nomine nuncupatur, Deorum talium quales sibi fecerunt, numero est additus. Post hunc non est Deus factus in Latio, nisi Romulus conditor Romæ. Inter ipsum autem & illum reges reperiuntur duo, quorum primus est, (vt cum Vergiliano versu eloquar) *proximus ille Procas Troianæ gloria gentis*. Cuius tempore quod quodammodo Roma parturiebatur, illud omnium regnorum maximum Assyriorum finem tantæ diuturnitatis accepit: ad Medos quippe (vt suprà diximus) translatum est, post annos fermè MCCCV. vt etiam Beli, qui Ninum genuit, & illic paruo contentus imperio primus rex fuit, computentur tempora. Procas autem regnauit ante Amulium. Porrò Amulius fratris sui Numitoris filiam Ream nomine, quæ etiam Ilia vocabatur, Romuli matrem, Vestalem virginem fecerat; quam volunt de Marte geminos concepisse. Isto modo fecerunt stuprum eius honorantes vel excusantes, & adhibentes argumentum, quòd expositos Lupa nutrierit: hoc enim genus bestiæ ad Martem existimant pertinere, vt videlicet ideò Lupa credatur admouisse vbera paruulis, quòd filios domini sui Martis agnouerit. Quamuis non desint qui dicant, cum expositi vagientes iacerent, à nescio qua primùm meretrice fuisse collectos, & primas eius suxisse mamillas (meretrices enim lupas nũcupabant, vndè etiã nunc turpia loca earum lupanaria vocantur) & eos posteà ad Faustulũ peruenisse pastorem, atque ab eius vxore Acca fuisse nutritos. Quod si ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam proijci crudeliter

liter iusserat, eis infantibus per quos tanta ciuitas condenda fuerat, de aqua diuinitùs liberalis per lactantem feram Deus voluit subuenire, quid mirum est? Amulio successit in regnum Latiale frater Numitor auus Romuli, cuius Numitoris primo anno condita est Roma, ac per hoc cum suo deinceps nepote, id est Romulo, regnauit. Ne multis morer, (inquit Augustinus) condita est ciuitas Roma, velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis, per quam placuit Deo orbem debellare terrarum, & in vnam societatem reipublicæ legumque perductum longè latéq; pacare. Erant enim populi iam validi & fortes, & armis gentes exercitatæ, quæ non facilè cederent, & quas opus esset ingentibus periculis, & vastatione vtrinq; non parua, atque horrendo labore superari. Nam quando regnum Assyriorum totam penè Asiam subiugauit, licet bellando sit factū, non tamen multū asperis & difficilibus bellis fieri potuit, quòd rudes adhuc ad resistendum gentes erant, nec tam multæ & magnæ. Siquidem post illud maximum diluuium & vniuersale, cum in archa Nohe octo soli homines euaserant, anni non multò amplius quàm mille transierant, quando Ninus Asiam totam excepta India subiugauit. Roma verò tot gentes & Orientis & Occidentis, quas Romano subiecit imperio, non ea celeritate ac facultate perdomuit: quoniam crescendo paulatim robustas eas & bellicosas, quaqua versum dilatabatur, inuenit. Tempore autem quo Roma condita est, populus Israël habebat in terra promissionis annos DCCXVIII. ex quibus XXVII. pertinēt ad Iesum Naue, deindè ad tempus iudicum CCCXXIX. Ex quo autem reges ibi esse cœperunt, anni erant CCCLXII. & rex tunc erat in Iuda cuius nomen Achas, vel (sicut alij computant) qui ei successit Ezechias, quem quidem constat optimum & pijssimum regem Romuli regnasse temporibus. In ea verò parte Hebræi populi, quæ appellatur Israël, regnare cœperat Osee. Hucusque Augustini verba porrecta sunt. Romanum ergò imperium (vt inquit Eutropius) quo neq; ab exordio vllum ferè minus, neque in incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recorda-

ri, à Troiano nobilissimo sanguine Romuloque primo omnium Romanorum rege sumsit exordium, à creatione mundi postquam fluxissent annorum 4484. (vt ad beatum Augustinum Orosius fertur scripsisse,) anno post Troiæ excidiū CCCCIIII. ante aduentum verò Saluatoris nostri anno DCCXV. ætatis autem Romuli 18. In cuius laudem Virgilius poëtarum clarissimus 6. Æneidos canit: *In huius viri auspicijs illa inclyta Roma imperium terris, animos æquabit Olympo; septemq. vna sibi muro circumdabit arces.* Rursusque sub Apollinis oraculo, *Hæc domus AEneæ cunctis dominabitur oris, & nati natorum & qui nascentur ab illis.* Condita autem vrbe Romulus quamuis adolescens, illicò tamen ad regni incrementum per optimam politiam intendens, vrbem populumq; trifariè diuisit: videlicet in senatores, milites, & plebem. Centum namque ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret: mille etiam pugnatores constituit, qui vrbis continuæ defensioni intenderent: artifices verò & agricolas sub nomine plebis posuit, vt ex illis omnibus aggregatis vrbs perfectissima constitueretur. Romulo successit Numa Pompilius, qui cultū Deorum & leges Romanas moresque constituit. Hoc regnante Romæ, & apud Hebræos Manasse, ab eodem impio rege propheta Isaias perhibetur occisus. Regnante verò apud Hebręos Sedechia, & apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat Anco Martio, ductus est captiuus in Babylonem populus Iudæorū, euersa Ierusalem, & templo illo à Salomone constructo. Per idem tempus Cyrus rex Persarum, qui etiam Chaldæis & Assyrijs imperauit, relaxata aliquantum captiuitate Iudæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad instaurandum templum regredi fecit: à quibus tantùm prima cœpta fundamina, & altare constructum est. Incursantibus autem hostibus nequaquam progredi ædificando valuerunt, dilatumque opus est vsque ad Darium. Per idem etiam tempus illa sunt gesta, quæ conscripta sunt in libro Iudith, quem sanè in canone scripturarum Iudæi non recepisse dicuntur. Sub Dario ergò rege Persarum impletis LXX. annis, quos Ieremias propheta prædixerat,

reddita

reddita est Iudæis soluta captiuitate libertas, regnante Romanorum septimo rege Tarquinio: quo expulso Romani à regum suorum dominatione liberi esse cœperunt. Vsque ad hoc tempus prophetas habuit populus Israël: qui cum multi fuerint, paucorum & apud Iudæos & apud nos canonica scripta retinentur. Dies autem prophetarum, scilicet Osee, Amos, Esaiæ, Micheæ, Ionæ & Iohelis, tenduntur à rege Latinorum Proca siue superiore Auentino vsque ad regem Romulum iam Romanum, vel etiam vsque ad primordia regni eius successoris, nomine Pompilij. Ezechias quippe rex Iuda eò vsque regnauit. Ac ex hoc per ea tempora fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanum: vt quemadmodum regni Assyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in eius semine benedictionis omnium gentium: ita occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula prophetarum non solùm loquentium, verùm & scribentium in tantæ rei futuræ testimonium soluerentur. Quum enim prophetæ nunquam ferè defuissent populo Israhel, ex quo sibi reges esse cœperunt, in vsum tantùm eorum fuère, non gentium. Quando autem scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset: tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc ciuitas, quæ gentibus imperaret. Porrò imperium Romanum licet vsque ad hæc tempora exigui adhuc nominis esset, & vix ad quintumdecimum milliariũ terras possideret, successiuo tamen gradu surgere cœpit. Cumque septem esset regibus administratũ, scilicet Romulo, Numa Pompilio, Tullo Hostilio, Anco Martio, Tarquinio Prisco, Seruio Tullio, Tarquinio Superbo: propter eiusdem vltimi regis insolentiam deinceps non regali discrimine siue despotico, sed consulari potius & politico administrari cœpit, statusque imperij mutatus est.

De re-

De regalis regiminis in consulare & politicum Romani imperij translatione.

CAPVT VI.

SVb regibus ad instar ætatis humanæ inclitum imperium ex teneris adhuc annis progrediens primò coaluit; deindè paulatim crescendo sub consulibus adolere cœpit: roboreque plenæ potentiæ sub imperatoribus Iulio & Octauiano adepta, tanquam in florescente ætate aliquandiu persistens, successiuè pòst decrescere cœpit: & quasi ad decrepitam ætatem perueniens tandem morte cum totius mundi occasu feriendum. Cum autem Romæ septem regibus regnatum esset annis CCXLIII. finibusq; regni & vrbis paululum ampliatis, expulsis vrbe regibus, regalis potestas ad consules translata est: cœpitque tunc regnum Romanum politicè gubernari. Cuius sanè translationis & mutationis causa fuit tyrannis & insolentia plurimorum regum, præcipuè quoq; causam expulsioni dedit Sextus Tarquinius Superbi filius. Tarquinio namque Superbo Ardeam oppidum in 18. milliario ab vrbe Roma positum obsidente, factum est vt in castris, cum obsidio traheretur in longum, cœnantibus regijs iuuenibus, inter quos & Collatinus erat nobilissimæ Lucretiæ coniux, & fortè nimio calentibus vino, de coniugum honestate incideret sermo: & cum vnusquisque suam, vt moris est, cæteris præferret, in consilium hoc itum est, vt citò conscensis equis viderent, quibus vxores eis bella gerentibus exercerentur officijs. Sanè cum cæteri suas inter coæquales ludentes inuenissent, versis equis ad ædes Collatini deuenêre: ibi cum honestis matronis lanificio vacantem & nullo exornatam cultu inuenerunt Lucretiam: quamobrem iudicio omniũ laudabilior visa est. Inter reliquos autem iuuenes præcipuè Sextus Tarquinius Superbi filius benignè susceptus, mox impudicos oculos in formositatem castæ mulieris iniecit. Vnde pòst multis interiectis diebus nefando succensus igne, occultè castris exer-

ſtris exercituq; relictis, nocte venit Collatium: vbi eò quòd viri consanguineus esset, à Lucretia comiter ſuſceptus & honoratus, poſtquam domum omnem luſtraſſet, tacitos & omnes ſomno ſopitos arbitratus euaginato gladio cubiculum intrauit Lucretiæ, minatuſque illi mortem, ſi vocem emitteret aut ſuæ non adquieſceret voluntati; tandem tremebundæ mulieri, aſpernanti tamen animo, per vim intulit ſtuprum. Quamobrem illuceſcente die patrem alioſque neceſſarios confeſtim accerſiri fecit, & virum: quibus aduenientibus, quæ à Sexto Tarquinij filio geſta ſunt, cum lacrumis & ordine retulit. Cumque illam flentem ſolarentur affines, illa inquit: Nulla impudica exinde Lucretiæ ſe defendet exemplo. Tum ferrum, quod veſte cælabat, ſubitò viſceribus immerſit. Propter quam cauſam Brùtus parens populum concitauit, & Tarquinio ademit imperium: exercitus quoque qui ciuitatem Ardeam cum ipſo rege oppugnabat, eum reliquit: veniensque ad vrbem rex portis clauſis excluſus eſt. Vnde Romani regia dignitate abolita conſulendum ſibi potius, quàm cuiquam ſuæ libertati dominandũ rati, Conſules ad imperium eorum gubernandum creauerunt. Pro vno namq; rege duo hac de cauſa creati, vt ſi vnus malus eſſe voluiſſet, alter eum ſimilem habens poteſtatem coërceret. Et placuit, ne imperium longius quàm annum haberent, ne per diuturnitatẽ poteſtatis inſolentiores redderentur, ſed ciuiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent eſſe priuatos. Fuerunt etiam non longo pòſt tempore ad gubernationem imperij & aliæ dignitates Romæ creatæ, vt dictatura, magiſtratus militum, quæſtura, præfectura, & aliæ quamplures, de quibus ad longum recitat L. 2. D. de orig. iur. & poſteà ſuperno opitulante numine aliquid dicemus: nec ad ſingula Romanorum geſta deſcribenda in præſentiarum in manus ſumtus eſt calamus, ſed progreſſum tantùm & ſtatum Imperij animus eſt quàm ſuccincto ſermone perſtringere. Sub conſulari autem imperio reſpublica Romana in immenſum augmentari cœpit. Incredibile enim eſt, inquit Salluſtius, quàm adepta libertate in breui Ro-

manum creuerit imperium. Optimis namq; & moderatissimis legibus vrbs Romana per consules fundata est, cœperuntq; iustissimè rempublicam administrare. Ob quam causam pleræq; nationes se spontè subdiderunt Romanis. Illi enim paulò post Reges exactos decem viros scientia & prudentia præstantes miserunt Athenas, per quos leges à Græcis ciuitatibus petebant, ne in incerto iure viuerent: quas in tabulis eburneis descriptas pro rostris proposuerunt, quo leges apertius percipi possent. Quàm etiam bello & armis militariq; disciplina sub consulari imperio Romana sit adaucta potentia, veterum sanè historiarum codices pleni sunt. Superstitibus enim regibus Romani cum finitimis tantùm regionibus sollicitabantur, nec longè adhuc arma commouerant. Sub consulibus verò extremas etiam nationes terra mariq; aggressi, victoriosissimis bellorum triumphis & cum multo suorum sanguine inclitum imperium longè latéq; dilatarunt. Quas nempe laudes gratiasq; non dignè satis dicere potest almum imperium illustribus & fortissimis viris Scipionibus, Fabijs, Æmylijs, Fabricijs, Metellis, Catonibus, Brutis, Marijs, magnoq; Pompeio, ac Caio Iulio, deniq; Cæsari consulari adhuc dignitate prædito, plerisq; tum alijs inexhausti vigoris nobilissimis ciuibus, qui pro huius imperij nomine & fama extollenda asperrima bella gesserunt, tot cruentos cum hostibus iniêre conflictus, totq; millibus periculis & mortibus se infracto pectore opposuerunt. Vsq; alia pęnè innumerabilia bella omittam, occurrit illud secundum Punicum bellum, vbi apud Cannas vicum Apuliæ Hannibale victore tot nobiles Romani pro salute imperij & reipublicæ internecione corruerunt, vt Hannibal pro testimonio triumphi tres modios annulorum aureorum Carthaginem miserit, quos ex manibus Romanorum equitum, senatorumq; & militum detraxerat. Ingens mediusfidiùs mihi, dum reminiscor, ex intimis erumpit præcordijs dolor, tantum tamq; generosum Hannibalis dextera profusum esse cruorem. Quo denique clara virtus Romanorum, quæ ad gloriæ & serenissimæ famæ extollentiam cupidissima

ma ſemper erat, ad res bellicas amplè peragendas ardentior foret, à nobiliſſimo Senatu lege ſancitum eſt, vt his qui quinque millia hoſtium vna acie occidiſſent, aut prouincijs ſubactis victrici gloria in patriam redibant, pompoſus honor triumphi dari deberet, qui in tribus conſiſtebat. Primò quidem captiui manibus poſt terga religatis ante currum ducebantur triumphantis. Capta tamen & proſtrata alta Carthagine inſignis poëta Terentius ex nobiliſſimis Carthaginenſium ciuium captiuis Scipionem Africanum triumphantem palliatus poſt currum ſecutus eſt. Secundò omnes ciues cum lætitia maxima ad ſuſcipiendum triumphantem obuij illi venerunt. Tertiò quòd ſolus ſedebat in curru indutus purpura, quem currũ quatuor equi trahebant. Et quò æternam illorũ redderent memoriam, ſculptæ imagines illis ponebantur pro roſtris & arcus conſtruebantur triumphales, quibus plena erat Roma, & vſque in noſtram ætatem veſtigia manent. Quamquam autem per militarem diſciplinam vſumq; triumphandi (vt Valerius inquit li. 2. Tit. de cenſor. nota) opes populi Romani in maximam excellentiam creuerunt probitate Imperatorũ: nequaquam tamen ſtabiles permanſiſſent, niſi mores Romanorũ ciuium fuiſſent temperati & virtuoſi, vitijs procul excluſis. Ideò etiam cenſoria nota adinuenta fuit, per quam bona adquiſita conſeruarentur: illa enim pacis magiſtra cuſtoſque virtutis ſemper erat. Quid enim (inquit Valerius) prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi malè viuitur? expugnetur licet orbis, corripiantur gentes, regnis manus inijciantur, niſi foro & curiæ officium & verecundia conſtiterit, partarum rerum cœlo cumulus æquatus ſedem ſtabilem non habebit. Cum itaque per CCCLXIII. annos vſque ad Iulij Cæſaris monarchiam conſulare imperiũ eſſet porrectum, Romanique iam eſſent clariſſima fama noti, ſuborta inter eos ciuili diſcordia, ita vt fit, vbi politicè regitur, conſulare pòſt ceſſauit imperium, Cæſareum incepit. & alterato iterum imperij ſtatu deinceps in noſtra vſq; tempora per Imperatores reſpublica gubernata eſt.

De consularis imperij in Cæsareum transmutatione.

CAPVT VII.

Etsi sacri imperij terminos amplificauit quàm latissimè consularis potentia, sub Iulio tamen Cæsare & Octauiano Augusto alma Roma in florentissimo statu constituta, velut sol plenè rutilans, ad extremos terrarum terminos suæ potentiæ atq; imperij radios circumquaq; diffudit: cœpitque post consulare regimen penes vnum esse summa rerum maiestas, mundique monarchia ad imperatorē transfusa est, qui longo dehinc temporum interuallo totius ferè mundi monarchiam obtinuerunt; donec illa succedentium ignauia principum, insurgentiumque immanitate bellorum ad hunc, quem hodiè cernimus, statum peruenit. Cæsareum autem nomen à Iulio Cæsare exortum est, qui bello ciuili commoto primus Romanum singularem obtinuit principatū. Is ab Iulo Æneæ filio originem & nomen sortitus est, vt Æneïdos carmine Virgilius confirmat:

Iulius à magno demissum nomen Iulo,
Imperium Oceano, famam qui terminat astris.

Caussam verò ob quam consulare cessauit imperiū, cæsareumque incepit, Eutropius hoc ordine describit. Cum Iulius Cæsar, cui adhuc consuli Gallia, Britannia atque Germania decreta erat, fortissimis prælijs triumphasset, victor inde rediens sibi absenti iterum decerni consulatum poposcit atque triumphum: quorum vtrumque ei Senatus negauit, agente Pompeio maximo & triumphantissimo viro, qui nolebat Romæ habere Cæsarem, & maiorem se in vrbe ferre non posset. Cumque esset de honore ac præeminentia inter eos contentio, nonnullique ciues Romani Cæsari adhærerent: Senatus verò atque vniuersa ferè nobilitas Romana partes tenerent Pompeij, & ipsi duo inter cunctos Romanos potentissimi & præstantissimi ciues erant, bellum ciuile dissensioque maxima in vrbe exorta est. Cum autem

tem

tem Senatus cum validissimo exercitu Cn. Pompeio duce contra Iulium Cæsarem in Græcia bellũ pararet, Cæsar interim collecto exercitu decem legiones instituit, ex Germanis, Gallis, & Britonibus, cum illisq; Romanam vrbem ingressus dictatorem, quæ maxima dignitas erat, se fecit, negatamque sibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuasit, protulitque ex eo auri pondo 4135, argenti verò pondo nongenta millia. Deindè contra Pompeium in Orientem profectus, in Italia ingens bellũ commisit. Itaque instruitur vtrinque ex Romanis acies: Pompeius 88. cohortes triplici ordine locauit: fuerunt autem peditũ plusquam quadraginta millia: equites in sinistro cornu sexcenti, in dextro quingenti, prætereà reges multi, senatores equitesq; Romani plurimi, absque leuium armaturarum maxima copia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit, cui fuerunt minus quàm quadraginta millia peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat contractas Romanorum vires in campis Pharsalicis ad occisionem mutuò constitisse: quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges finire potuissent. Prima congressione equitatus Pompeij pulsus sinistram cooperuit, alram nudauit: deindè cum diu vtrinque dubia sorte redderentur, atq; ex alia parte Pompeius diceret, Parce ciuibus, tandem vniuersus Pompeij fugit exercitus, castraq; direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum quindecim millia, militũ centuriones triginta tres. Pompeius fugiens in Asiam venit, inde fugatus per Cyprum Alexandriam petijt, vt à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat, propter juuenilem eius ætatem acciperet auxilia. Qui fortunam magis quàm amicitiam secutus, occidens Pompeium, caput eius & annulum Cæsari misit. Quo cõspecto Cæsar etiam lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam sui. Triumpho ergò potitus Cæsar, & bellis ciuilibus toto orbe compositis redijt, monarchiamque imperij solus adeptus est, anno ab V. C. fermè septingentesimo: vir quo nullus vnquam bello magis enituit: eius siquidem ductu vndecies centum nonaginta & duo millia hostium cæsa sunt.

Post hunc Octauianus Cæsaris nepos sororisq; filius apicem Romani imperij conscendit: sub quo respublica in prosperrimum statum perueniens ingenti felicitate pollebat: non enim vllo tempore ante Cæsarem Augustum res Romana magis floruit. Tunc namque Romanum imperium ab Oriente in Occidentem, à septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circulũ cunctas gentes vna pace compositas sub sua ditione tenebat. Eo autem tempore, id est, XLII. imperij sui anno, quo verissimã firmissimamq; pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, ab V. C. verò DCCXV. anno, à creatione autem mundi cum transissent annorum 5199. natus est CHRISTVS verus cœli terræq; monarcha, qui Romanum imperium suo sacrauit aduentu, cuius aduentui pax ista famulata est: & sic in primo eius aduentu Christus sopitis armorum fragoribus totum mundum sub vnica terreni principatus monarchia & vnanimi professione Romani imperij compositum reperit. Sic quoque in secundo eius aduentu deficiente Romano imperio, sedataque sæua persecutione Antichristi cunctos per orbem populos sub monarchico principatu Apostolici papalisque imperij, vnicaq; orthodoxæ fidei professione adunatos inueniet, eritque & tunc pastor vnus, ouileque vnum iuxta euangelicum præsagium. Et tamen vtriusque monarchiæ fuit caput, estque & erit illa inclyta Roma: illa nempe sicut terrenum quondam imperium gerere visa est, sic nunc quoque cœlestis monarchiæ apicem in terris tenet. Recolenda profectò & felicissima ciuitas, omnique laude prosequenda, quam (vt Titus Liuius ait) caput rerum omnium cœlestes esse voluerunt, de quo toties armis certatum est, in cuius denique præconiũ multa præclara differit text. in c. fundata. De election. lib. 6. Sub Octauiano ergò Augusto regnauit integerrimè mundi monarchia, qui primus voluntate Senatus singulare obtinuit imperium. Iulius enim, etsi solus imperaret, inuito tamen Senatu sibi Romanum vsurpauit principatum. Octauianus præterea à Senatu primus ex eo quòd rempublicam auxerit, Augustus consalutatus est, quod nomen cunctis successoribus vsque ad nunc

ad nunc dominis tanti orbis consecratum est, idque apicem declarat imperij. Debet namque quilibet imperator illius esse propositi & animi, vt imperiū augeat, vt ait gl. ordinaria in procem. digestor. & pariter instit. Nisi enim hæc glossella saluaret titulum Augustorū, nullus ferè nostra ætate verè se denominaret Augustū; cum pleriq; potius angustent quàm augeant imperiū. Cæsares verò dicti à Iulio Cæsare, qui (vt Isidorus lib. 7. Ethicor. ait) de matris vtero cæsus erat, vel à cæsarie quod comatus. Quod nomen Romanis principibus Alamannica etiam lingua dicatum est: Laici enim non habentes peritiam prosodiacæ primi legerunt Kæsar pro Cæsar; vnde vulgare teutonicorum quo Cæsarem Keyser appellant, defluxit. Imperatorum autem nomen Romani illis primū indiderunt, apud quos summa rei militaris consisteret, ab imperando exercitui Imperatores dicti. Sed dum diu duces titulo imperatorum fungerentur, Senatus censuit vt Augusti Cæsaris tantùm nomen esset illud, quo distingueretur à cæteris gentium regibus: quod & sequentibus Cæsaribus in nostra vsque tempora inuiolatum permansit, sicut apud Albanos Siluij appellati sunt, & Ægyptiorum Ptolomæi. A tempore quo ad Germanos peruenit imperium, in Imperatorum creatione maior quàm olim exigitur solemnitas, propter triplicem coronam, vnctionemque quam de pontificali manu suscipit. Vnde in Romanū electus principem non antè, quàm auream Romæ coronam & sacram vnctionem recipiat, hodiè Imperator appellari debebit, sed Rex, vt hoc pulcrè nobiliterque declarat gl. in Clem. vnica. de iurciur. Cum autem ab Augusto vsque ad tempora Magni Constantini non multò amplius quàm CCCLX. annis in vrbe Roma Romanorum procurrisset imperium, de post inspirante illo qui cuncta gubernat, victoriosus princeps relicta maxima pulcherrimaque Roma imperij nutrice, sedem apud Græcos constituit, Constantinopolisque domiciliū clarissimi & fortunatissimi imperij futuris deinceps Imperatoribus dedicata est.

An con-

An conueniat Imperium & quodlibet regnum magis regaliter quàm politicè gubernari.

CAPVT VIII.

AMplitudini Romani imperij in ſuo proceſſu vtramque adminiſtrationem, & conſularem & cæſaream plurimũ contuliſſe compendioſius quo potui perſtrinxi. Nunc verò priusquam ad alia progrediar, haud incongruè placuit politicam inſerere quæſtionem, An conueniat imperium & quodlibet regnum per vnum magis quàm plures gubernari. Et quidem politicum regimen præualere regali multis rationibus perſuaderi poteſt. Plerunque namque contingit, vt homines ſub rege viuentes ſegnius ad bonum commune fiant, exiſtimantes id quod ad bonum commune impendunt, non ſibi ſed alteri conferri, ſub cuius poteſtate conſiſtunt. Cum autem res publica per plures adminiſtratur, quilibet ad bonum commune quaſi ad ſuum proprium attendit. Vnde experimento nonnunquam videmus, ciuitates per annuos rectores adminiſtratas plus poſſe, plusque proficere, quàm eas quæ principum adminiſtratione gubernantur: vt in rebus Romanis paruit, quæ poſt exactos reges mirum in modum & in breui excreuerunt; & in Venetorũ politia id hodiè luculentiſſimè cernitur. Parua prætereà ſeruitia à regibus grauius feruntur, quàm onera grandia, quæ à communitate ciuiũ imponuntur. In Romana enim republica cum plebs militiæ adſcriberetur, nihilominus tamen & pro militantibus ſtipendia exoluebat. Verùm cum ſtipendiis ſoluendis non ſufficeret ærarium, in vſus publicos opes venere priuatæ, adeò vt præter ſingulos annulos & cætera dignitatis inſignia nihil ſibi auri ſenatus ipſe reliquerit. Cæterum rectores ciuitatum legibus municipalibus aſtringuntur: Reges verò legibus regni ſaltem coactiuis minimè ſubiiciuntur, vt l. princeps D. de legib. & 9. q. 3. c. cuncta per mundũ. propter quod ſæpè contingit eorum regimen

gimen verti in tyrannidem, licet Imperator velle se legibus viuere profiteatur, vt l. digna vox. C. de legib. In aduersum verò monarchicum regimen optimum esse longè maioribus rationibus persuasum est. Et primò quidem id palàm est ex fine regiminis: In id enim cuiuslibet regentis fieri debet intentio, vt eius quod regendum susceperit salutem procuret, instar nautici gubernatoris, cuius sollicitudo est, vt nauem contra maris pericula & Scylleam voraginem ad portum saluam perducat. Bonum verò & salus consociatæ multitudinis est, vt eius vnitas, quæ pax nuncupatur, conseruetur: qua remota socialis vitæ perit vtilitas. Manifestum autem est, quòd vnitatem magis afficere potest, quod est per se vnum, quàm quod in pluri consistit. Iuxta Philosophos enim efficacissima causa calefactionis est per se calidũ. Et id non solùm ratione sed & experimento compertum habemus, quòd prouinciæ & ciuitates, quæ non reguntur ab vno, dissensionibus crebrò laborant: vt in Romana republica visum est. Pluralitas enim est mater discordiæ, & quot sunt capita, tot sensus, vt c. sicut in sacramentis. De consecr. dist. 4. & c. quod diuersitatem. De concess. præbend. & apud legistas l. si vnus. §. principaliter. D. de arbitris. Nam voluntates hominum variæ sunt. l. quia poterat. D. ad Trebell. Et ideò amicitia inter multos magnis attollitur preconijs, quasi miraculosè animus amicorum sit in diuersis corporibus. Prætereà id magis fugiendum est, ex quo maiora possunt sequi incommoda. Sed in regimine multorum plerumque contingit, vt ex pluribus aliquis ab intentione communis boni diuertat, quo à bono publico pedem declinante dissensionis periculum multitudini imminet. Dissentientibus enim principibus vt in multitudine sequatur dissensio, necesse est: & omne regnum in se diuisum (vt ait Saluator) desolabitur, nec vlli nauem in vnam trahunt partem, nisi coniuncti. Qua quidem consideratione haud impudenter dixit summus philosophorum Aristoteles, quem Auerroës putat quasi regulam datam in natura, *Pluralitas principũ mala, vnus ergò princeps.* Quàm enim dispendiosum & ad pacem & iusticiam com-

ponendam sit pluralitas, absq; vnico capite dominantium, non solùm nobilis Alsatia, sed & tota ferè Alemania deplorat. Roma vt condita est, duos fratres simul habere non potuit, & fratricidio dedicatur: Et in Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gesserunt. Optimus ergo est in qualibet republica principatus vnius, vbi tum etiam regnũ in tyrannidem vertitur, periculosius longè est in multitudine quàm vno solo. Multitudine enim tyrannisante ad suppressionem totius reipublicæ intendit: qui quidem excessus tyrannidis maximum gradum tenet maliciæ. Et vt paucis plurima perstringam, siquis præterita facta, & & quæ nunc sunt, diligenter consideret, crebrius inueniet creuisse tyrannides in terris quæ pluribus reguntur, quàm quæ gubernantur ab vno. Porrò physica etiam ratione monarchiam siue regale regimen optimum in republica esse comprobatur. Cum enim ea quæ secundum artem sunt imitentur ea quæ secundum naturam; id opus artis melius est, quod magis assequitur similitudinem eius quod secundum naturam est. Omne autem naturale regimen ab vno est, sicut à corde membrorum multitudo dependet, à ratione potentiarum animæ multitudo procedit. In apibus denique rex vnus est, & grues vnum sequuntur ordine literato, vt inquit text. in c. in apibus. 7. q. 1. in totoque vniuerso vnus Deus creator & factor omnium est. Concluditur ergo ad conseruationem stabilitatemque imperij & cuiuslibet regiminis ratione naturali pariter & morali considerata frugalius esse regimen vnius quàm plurium: licet sæpè ex desidia ac imperitia regum & principum contrarium contingat. Nam plurium Imperatorũ studio & fideli administratione Romana respublica magnopere aucta est, & per plurium desideria & tyrannidem ad nihilum verè redacta. Sic quoque in vtroque regimine populi Hebræorum fuit, quod rempublicam eorum offenderit: primo quidem, dum sub Iudicibus regebantur, vndique diripiebantur ab hostibus & vnusquisque quod sibi bonum videbatur in oculis suis, faciebat. Regibus verò eis diuinitùs ad eorum datis instantiam, propter regum malitiam à cultu

vnius

vnius diei recesserunt, finaliterque miserabili fato hostium armis deuicti occubuerunt, longæuaq; captiuitate attriti sunt. Vtrobiq; ergo & in politico & regali regimine virtus in precio est.

An expediat reipublicæ Imperij & cuiuslibet alterius, gubernatorem habere potius perpetuum vel temporalem.

CAPVT IX.

SApientissimi vrbis Romæ patres politico eorum adhuc persistente regimine, singulis annis nouos statuisse magistratus, in superioribus actum est. Quo cessante, Cæsareoq; incipiente, per fixos rectores tanquā reipublicæ magis salutares res Romanas exinde directas esse agresti stylo perclaruit. Qua de re altera nunc pulsat quæstio animum, An expediat in omni republica magistratum ordinare fixum? Socrates certè & præcipua humanæ sapientiæ lumina in ea sententia fuêre, quòd omninò non conueniat reipublicæ magistratus annuè mutari: ad eamque partem has voluerunt vrgere rationes. Experientia namq; (inquiunt) facit artem, vt de arte militari Vegetius dixit: *Scientia rei militaris nutrit audaciam, quod nemo facere metuit, quod se benè dixisse confidit*. Sed si fiat mutatio rectorum vel principum, plerunque contingit inexpertum ad rempublicam administrandam assumi, ex quo errores nonnunquā maximi incidunt in politia. Præterea per huiusmodi vicissitudines rectorum datur occasio subditis rebellandi minimeque obœdiendi, vel quod quisque sperat magistratus potestatem breui sumendam, vel saltem per successum temporis ad idem officium seipsum deligendum fore. Quanta etiam dissidia & intestina bella inter conciues parturire soleat annua rectorum alternatio, multis exemplis in republica Romanorum exploratum est. Dum enim ex eis pleriq; maximi viri ad consulatum aspirarent, nec assequerentur votum, in perniciem postmodum reipublicæ &

patriæ acerrimè moliti sunt; adeò vt tandem hæc res consulari imperio, vt supra patuit, silentium daret & finem. Non videntur denique adeò sollertes esse & ad rempublicam attenti annui rectores, quemadmodum perpetuò stabiliti: cum illi suam potestatem sciant modico tempore duraturam, in quo modico tempore sæpenumero contingit aliquos ad commodum peculiare potius quàm ad publicum intendere, nec ad emendationemmorum facinorumque correctionem promtus desacili quisque talis reperitur, cum omnibus applaudere magis quàm quemquam offendere studeat. Ex quo fit, vt per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerunt, nequiores, vt text. in c. vt fame. De sent. excom. Vnde reipublicæ interitus corruptioq; nonnunquam sequitur. Interest namq; reipublicæ, ne crimina remaneant impunita. l. ita vulneratus. D. ad leg. Aquil. l. si operis. C. de pœn. Et quamuis Socratica pariter & Platonica sententia vrgentibus rationibus persuaderi possit: est tamen in contrarium altera æquè probabilis persuasio, monarcha nempe Philosophorum Aristoteles 2. Politic. *mutare* (ait) *aliquando principatum magistratusq; dignitatem, caussa maioris pacis vnionisq; in ciuitatibus solet esse & politia quacunq;*. Emergit ad hanc sententiam & alia ratio ex dicti philosophi 5. Ethicor. vbi ait, *Principatus virum ostendit*. Contingit enim plerunq; virum virtute & moribus commendabilem in gradu suo prouehi ad dignitatem, & in successu temporis vitam moresque deflectere in deterius, vt 1. Regum in Saule Hebræorum principe exemplum in manibus est. Porrò in natura hominis gradus, quantum ad virtutes & gratias, reperiuntur: quidam enim ad subiectionem idonei sunt, sed ad regimen minimè vtiles: quidam verò in contrarium sunt dispositi. Si autem ex fallibili opinione contingat, eum qui minimè idoneus est ad regimen aliorum, eleuari perpetuum, quantum commoditatis frugalitatisq; allaturus sit reipublicæ, nemo profectò rationis compos ignorat. Cum etiam secundum philosophum 6. Ethicor. omnes homines desiderent habere honores, maximumq; bonorum exteriorum honorem existimant,

existimant, adeò quòd non sit vlla tanta humilitas, vt Maximus ait Valerius, quæ hac dulcedine non tangatur. Ob quam caussam nonnulli in republica ad principatum aspirantes non æquo animo ferunt superioritatem vnius & perpetui. Proindè Aristoteles 2. Politicor. Socraticam irridens sententiam ait; *Socrates semper eosdem facit principes, quasi stabilitio principatuũ apud inferiores viriles & animosos præcipua sit caussa ciuilis discordia.* Fabius dux Romanorum cum sæpius consulatum habuisset, huiusmodi dignitatis in sua familia longis fuisset continuata temporibus, egit cum populo, vt aliquando vacatio honoris eiuscemodi Fabiæ genti daretur, ne tanta dignitas in vna domo remaneret. Hodie quoque nobilis Roma annuo senatore gubernatur, vt innuit text. elegantiss. in c. fundamenta. De elect. lib. 6. & per ius ciuile prouisum est, ne vltra biennium ciuitas sibi eligere possit magistratum, vt in Auth. de defensor. ciuit. §. fin. collat. 4. & aliter aspirans ad potestatem incidit in legem Iuliam ambitus. C. ad leg. Iul. amb. L. vna. Ratio prohibitionis est, ne regentes rempublicam asperè dominentur, & ne detur occasio delinquendi: ideò disponit lex, vt post biennium deponat officium, & rationem reddat de gestis. L. vnica. C. vt omnes cau. tàm ciuil. quàm crimin. etsi Aristotelica sententia vicissitudinem rectorũ & principũ in republica exigere videatur. Est tamen aduertendum, quòd regiones gentiũ diuersificantur, tum quoad naturã humanam, tum quoad complexiones modumq; viuendi, quemadmodum vniuersa animantia iuxta aspectum cœli influentiamque astrorum alterantur, vt Ptolemæus tradit in quadupert. Nam si plantæ ad aliam transferantur regionem, illius naturam conuertũtur: ita & de hominibus videmus, quòd nonnunquam Alemanni translati in Italiam italisantur, & mores vitamque eorum vel in bonum vel in malum imitantur. Quamobrem pari ratione regimen & dominium cuiuscunq; regionis ordinandum esse videtur secundum dispositionem gentium, sicut & ipse philosophus in Politicis tradit. Quædam enim prouinciæ seruiles sunt naturæ, homines habentes pusillanimes; & tales guberna-

ri conuenit regimine despotico & regali. Sunt autem aliæ prouinciæ habentes gentes & animi & corporis viribus audaces, ingenioq; & industria præstantes; quas politico gubernari regimine necesse est: quale profectò dominium in Italia & plerisque alijs regionibus viget, quibus difficile esset propter innatam eorum rebellionem dominari regaliter. Regiones autem insulares Italiæ semper reges & principes habuerunt, vtpote Sicilia, Sardinia, & Corsica. In partibus verò Liguriæ, Æmiliæ, & Flaminiæ, quæ hodie Lombardicæ nuncupantur, nullus ferè nisi tyrannica quadam impressione principatū obtinere potest perpetuum, vt nostra ætate sæpe visum est. Attamen dux Venetiarum temperatum limitatumque regimen habet, qui suam potestatem à Senatu Venetorum veluti lumen à sole luna mutuare perhibetur. In terris verò vbi principatus ad tempus sustinetur, ad regimina mediocres (vt philosopho 4. Politic. placet) idoneiores sunt, hoc est, vt nec sint potentes nimis, qui de facili tyrannisent, nec nimis abiectæ condicionis, quòd statim democratisent. Considerantes enim illi se quasi ex nihilo in altum fastigium euectos, sui immemores ignarique regiminis in erroris plerunq; baratrum prolabuntur. Conuenit præterea reipublicæ ad magistratus eligi viros, qui nec auaritiæ vicio, nec inopia nimium laborent. Narrat quippe Valerius lib. 6. quòd cum duo consules in senatu Romano contenderent, vter eorum in Hispaniā mitteretur; tùm Scipio Æmylianus omnibus alijs suam sententiam expectantibus, Neuter, inquit, mihi placet: eò quòd alter nihil habet, alteri nihil satis est. Nec huiusmodi dominio derogant, si quandoq; temporū & regionis qualitate considerata delicta leuius puniantur in politico quàm despotico. In nonnullis namq; terrarum oris ad conseruationem politiæ dissimulare culpā, vel remittere meritā pœnam, non minus quandoq; quàm aspera correctio reipublicæ accommoda est. In quo casu non minus etiam ἐπιείκεια sibi locū vendicare videtur. Vnde Gregorius in pastorali modū correctionis iuxta personarum statum & qualitatem instruit esse attendendum. Et canonica iura non-

iura nonnunquam seueritati detrahendum esse aiunt. L. dist. vt constituerentur. c. cum ex iniuncto. De no. episc. nunc. at ne longius verbis politicis digrediar, nunc quæ ob merita Romanis mundi monarchia à superis concessa erat, consequenter dispiciendum esse videtur.

Quòd prouiso consilio cœlum terramq́ue regentis, mundi monarchia Romanis concessa est.

CAPVT X.

INter cunctos per orbem reges dominosq; terrarũ nulli vsquã reperti sunt, qui ad benè beatéq; regendũ solertiores existerent Romano populo: qua ex re illos dignè adeò suis virtutibus imperiũ orbis promeruisse, lumen ecclesiæ attestatur Augustinus. Virtutibus quidẽ dico non theologicis, quę sine fide & caritate non habentur: sed politicis, quibus etiã gentiles ornãtur, vt inquit text. iun. gl. 28. q. 1. §. ex his nempe & Romanos multis summisq; virtutibus in 18. De ciuit. Dei, extollit Augustin. maximè tamen tribus, quibus præcipuè floruerũt, illos dignissimos imperio fuisse ostendit. tum ob sincerũ in patriam amorem & integram eorũ in rempublicã fidem: tum zelũ iustitiæ: tum quoq; ciuilem eorũ in omnes beneuolentiã. Atq; vt à prima exordiar, sanctus amor patriæ honorem dominij dignè meretur: ille enim in radice fundatur caritatis: quæ virtus caritatis meritò præcellit omnem virtutem, eò quòd cuiuscunq; virtutis meritũ ex virtute dependet caritatis: & qui rempublicam zelat, rem videtur zelare diuinam, vt 1. Ethicor. philosophus dicit. Et, vt iustũ principem decet, Imperator amplissimum Senatum alloquens; *Cordi* (ait) ***nobis est, Patres conscripti, semper nostri animi curas rebus communibus auidissimè impendere.*** L. 1. E. de emend. cod. Ea propter amor patriæ supra cæteras virtutes gradũ meretur dominij, imperij, & honoris, in quo vtiq; patriæ amore nullam dispensationem morales admittunt. Non enim vlla caussa interuenire debet,

debet, ait Tullius in lib. de republ. vnde propriæ derogetur patriæ. Et in 1. Officior. is ipse Tullius, qui & consul Romanus fuit, *Omnium societatum*, inquit, *nulla est gratior, nulla carior, quàm ea quæ cum republica perseuerat. Vnicuiq; enim nostrorum cari sunt parentes, cari liberi, cari propinqui ac familiares: sed omnes omnium caritates patria vna complexa est, pro qua quis bonus non dubitat mortem oppetere, si eidem sit profuturus.* Quanta autem in rempublicam flagrarint caritate veteres Romani, Salustius in Catilinario ex sententia Catonis refert, dum plurimas virtutes illorum connumerando subnectit; *Nolite existimare maiores nostros armis rempublicam ex parua magnam fecisse: quippe amplior nobis quàm ipsis armorũ & equorum est copia: sed quia in eis fuit domi industria, foris iustum imperium, in consulendo animus liber, nec delicto, nec libidini obnoxius. Pro his* (ait) *nos habemus luxuriam & auaritiam, publicè egestatem, priuati opulentiam; laudamus diuitias, sequimur inertiam, & inter bonos & malos discrimen nullum: omnia deniq; virtutis merita nunc possidet ambitio.* Quid dicam de Marco Curtio nobilissimo vrbis Romanæ milite, qui pro salute vrbis & pace, cum in medio foro & in ea parte, vbi nunc templum Diui Antonij situm est, terra dissiluisset, sumtis militiæ insignijs, equo armatus insidens, in abruptum terræ barathrum se præcipitem dedit, vt pestilentia cessaret ab vrbe. Quid prætereà de Marco Regulo Attilio, Romanorum fidelissimo duce, condignum suæ præmio virtutis recenseam, qui Reipublicæ suam præferens salutem sponte se dedit in necem. Is enim cum Carthaginensibus bellũ inferens, cum quingentis viris captus & in carcerem coniectus esset, postea à Carthaginensibus, qui bello fracti erant, ad pacem petendam & pro commutatione captiuorũ Romam, sub sacramẽto tamen redeundi, missus est. Ille tamen Romam ductus suasit, ne pax cum Afris fieret: illos enim fractos tot casibus spem non habere vllam: ac se tanti non esse, vt tot millia captiuorum, quos Romani detinebant, propter vnum se & senem, & paucos qui ex Romanis capti erant, redderentur. Offerentibus autem Romanis vt eum Romæ tenerent, negauit se in ea vrbe mansurum, in qua

postquam

postquam Afris seruierit, dignitatem honesti ciuis habere non posset. Rediens itaq; in Africam miserabili nece extinctus est. Quàm mundas etiam à muneribus habuerint manus Romani principes pro republica conseruanda, Valerius lib. 4. multis exemplis describit: sed vnum de Mario sufficiat. Is postquam victoriam de Samnitibus obtinuisset, legati Samnitũ ad eum cum muneribus missi ipsum ad focum in scamno sedentem & catino ligneo cœnantem reperiunt: illi verò magnũ auri pondus obtulerunt, benignis inuitantes verbis, vt eo vti vellet. Qui protinus vultum risu soluens; *Narrate*, inquit, *Samnitibus, Curium malle locupletibus imperare quàm locupletem fieri: mementote deniq;, me nec acie vinci, nec pecunia posse corrumpi.* Integram ergo & inuiolatam fidem vrbi & patriæ non modò illi, de quibus oratio præmissa est, sed & plurimi alij seruauerunt. Quapropter Romanis summa Dei prouidentia vniuersale orbis dominium & imperium iustè concessum est. Sic quoque & apud Hebræos Nathathias & eius filij, quamuis sacerdotali essent tribu progeniti, propter zelum tamen legis & patriæ in filijs Israël principatum meruit. Non solùm autem Romanum Imperium, ait idem Augustinus in 5. de ciuit. Dei, dilatatum est ad humanam gloriam, verùm etiam vt ciues æternæ illius ciuitatis quamdiu peregrinantur in terris, diligenter & sobriè illa intueantur exempla, & videant quanta dilectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantum à suis ciuibus terrena dilecta est propter hominum gloriam. Fuit & altera haud minus digna imperio causa, zelus intemeratæ iustitiæ, sacratissimaque sanctio legum, quibus Romanos dominium obtinuisse orbis ipse Romanorum profitetur Imperator in l. vnica. C. de nouo cod. confir. vbi in hæc verba elegantissimè exorditur: *Summa reipublicæ tuitio*, inquit, *de stirpe duarum rerum, armorum atque legum veniens, vimq; suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque dominari tàm præsentibus efficit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet. Istorum enim alterum alterius auxilio semper eguit: & tàm militaris res legibus in tuto*

collocata est, quàm ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt. Rursum quoque in L. 1. C. de vete. iure enucl. libros legum *sanctissimum templum Iustitiæ* appellat. Quas vtique leges nostra Alamania (proh dolor) in sua despicit insipientia: quamobrem minimè mirum, si tota compago Romanæ potentiæ dissoluatur, omnisque Teutonia continua inquietudine absque iustitia agitur & pace. Plurimi populorum æquissimis Romanorum legibus allecti spontaneè se illis subdiderunt; nunc verò nec subiecti armis contineri possunt. Quibus itidem legibus doctor gentium Paulus innixus, cum à Iudæis atrocibus afficeretur iniurijs apud Cæsaream Palæstinæ vrbem (vt in actibus Apostolorum habetur) à Festo præside ad Cæsarem appellauit, & Romanis legibus, cum & ipse ciuis esset Romanus, (vt in c. si in adiutorium. 10. dist.) confidenter se subiecit. Illi enim exactissimi legum iustitiæque custodes nec delicto nec libidini obnoxij erant; pro quibus dominia nunc dissipantur. Ob quam reuera caussam (vt Augustini 18. lib. de ciuit. Dei repetam verba) placuit Deo per Romanos orbem debellare terrarum, vt in vnam societatem reipublicæ legumque perductum illum longè lateque pacaret. Vnde in 5. eiusdem voluminis inquit, *quòd Romani propter leges eorum æquissimas vsi sunt tanquam recta via ad honores, imperium, & gloriam.* Nec habent vnde iure conqueri possunt de summi & veri Dei iustitia: perceperunt enim mercedem, iustè dominando legitiméq; gubernando. Subiungit porrò in eodem libro Augustinus exemplum de zelo iustitiæ Bruti ciuis Romani, qui filios suos occidit, quòd bella concitabant in populo. Vicit enim in eo (vt ait Poëta) *amor patriæ, laudumque immensa cupido.* Et rursum de Torquato, qui nato necem inferre voluit, quòd contra edictum patris hostes inuasit iuuenili quodam prouocatus ardore: & licet hostes vicit prælio, quòd tamen castra sui parentis discrimini exposuit, ipsum morti iuxta militares leges adiudicauit, ne plus mali esset in exemplo imperij contemti, quàm boni in gloria hostis occisi. Et maluit (inquit Valerius) proprio carere nato, quàm disciplinæ militaris transgres-

sionibus indulgere. Tertiam subindè iustam concessionis dominij causam subnectit idem Augustinus, asserens illam fuisse ciuilem illorum beneuolentiam singularemq; in omnes humanitatem. Cicero enim in 2. de Officijs de Romanorum beniuolentia disserens ait; *Nostri magistratus imperatoresq́; ex hoc maximam laudem capere studebant, si prouincias, si socios æquitate & fide defendissent, dominiumq́; nostrum patrocinium orbis terræ verius quàm imperium poterat nominari. Malus est* (inquit) *custos diuturnitatis metus: beniuolentia verò ad perpetuitatem fidelis est:* introducens etiam illud poëtæ: *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perijsse expetit.* Et præclarè flos poëtarum Terentius in Adelphis ait: *Errat longè mea quidem sententia, qui imperium credit grauius aut stabilius, vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.* Humanitatis namq; dulcedo, Valerio teste lib. 6. barbarorum penetrat ingenia, & in prouerbijs sapiens dicit: *Verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Cuius profectò ratio sumitur ex animi generositate; qui magis suauitate ducitur, quàm rigiditate trahatur, vt Seneca ait. Vnde philosophus 8. Ethicor. *beneuolentia est præmium amicitiæ,* ait. & legũ conditor, *Nihil aliud tàm peculiare est imperialis maiestatis, quàm humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio.* C. de donat. int. vir. & vxor. L. fin. Ac verè beniuolentia animiq; lenitate Romani plerasque exteras nationes in suũ traxerunt amorem: imò & quos armis superare non poterant, beniuolentia deuicerunt. Inter quos Scipio illustris consul occurrit primus. Is enim annos tantùm natus quatuor & viginti, cum in Hispania proconsulare sortitus esset imperium, primo impetu Carthaginem nouã Hispaniæ cepit, & dum inter cæteras quædã adulto flore virgo pulcerrima ab eo comprehensa fuisset: eam paterna pietate seruauit, cõcedens parentibus vt eã redimerent: ad se etiam sponsum nobilissimi generis virũ venire persuadens, ei ipsam quasi illius genitor in matrimonium tradidit, preciumque quod à parentibus eius acceperat, doti adiecit, puellæque condonauit. Ex quo facto tota penè Hispania ad Romanorum se dedit imperium. Et Titus Liuius de bello scribens Punico,

ſermonem Scipionis quo virginis ſponſum allocutus eſt, cum mitem eius in victoria animũ dignè certe principibus inimitabilem his verbis oſtendit. *Primũ quidem* (ait) *exhortatus eſt vniuerſos bono eſſe animo: veniſſe enim eos in populi Romani poteſtatem, qui beneficio mallent quàm metu vincere: Exteras quoq; gentes magis fide ac ſocietate victas, quàm triſti ſeruitio ſubiectas habere.* Clementiam pietatemq; ipſorum magnopere extollit Auguſtinus 1. de ciuit. Dei: proprium inquiens Romanorum fuiſſe *parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Ex multisq; exemplis introducens Marcum Marcellum, qui cum à Senatu ad expugnandum Syracuſas nobilem Siciliæ vrbem miſſus eſſet, ante illius deditionem pias illi effudit lacrymas, publicoq; edicto conſtituit, ne quis in illa corpus liberum violaret. Captis autem à ſeſe Syracuſis ruinam ex alto ciuitatis proſpiciens arce; *En vrbs*, ait, *Syracuſana hoc ſaltem in tua clade maximum ſolamen habes: etſi incolumis ſtare non poteras, ſaltem ſub victore clementiſſimo cecidiſti.* His denique & quamplurimis alijs virtutibus, quibus ab olim Romani claruerunt, allectus Iudas Machabæus Hebręorum inuictiſſimus princeps, ſuique ſanguinis fratres qui etſi aliarum nationum propter leges diuinas abſoluiſſet aſpernari conſortium; fama tamen bonitatis Romanorum attracti, amicitiæ fœdus cum eis ſtatuerunt. Diuino itaque numine & ſuperna prædefiniente ordinatione actum eſt, vt mundi monarchia in Romanorum tranſierit ditionem, quos præ cunctis gentibus aptiores ad regendum Deus inuenit, qui armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſu militiæ, libertate quieta, iuſticiæ cultu, legum reuerentia, finitimarum gentium amicitijs, maturitate conſiliorum, grauitate verborum & operum obtinuerunt, vt orbis exiſterent domini. Nam Romanus populus á rege Romulo in Cæſarem Auguſtum per ſeptingentos annos ita per vniuerſum orbem victuoſè ac potenter arma circumtulit, & regna mundi propria virtute contriuit, vt qui eius magnifica geſta legunt, non vnius populi, ſed totius humani generis facta legere videatur. Et cum ſecundum philoſophum virtutis præmium ſit honor, iuſtusq; Deus nullum bonum irremunera-

irremuneratum relinquat; ipsi certè Romani cum gentiles essent, mercedem præmiumque virtutis in hoc mundo perceperunt, dominium videlicet mundi, imperij apicem, summique fastigium honoris.

De imperialis sedis à Latinis in Græcos translatione.

CAPVT XI.

QVamquam statuissem directo tramite per semitam dicendorum transire, neq; ad dextram neq; ad sinistram efferre pedem: longius tamen ab instituto proposito calamum videor elongasse. Sed quoniam ita res exigebat, beati Gregorij in Prologo Moralium debet me excusare auctoritas; qui sermonem scribentium occasione accepta instar aluei fluminis asserit nonnunquam lateraliter riuulos deriuare. *Flumen nempe*, inquit, *per medium conuallium dilabens ad alterum quandoq; declinat concauitates, quibus repletis in alueum iterum se refundit.* Ita ipse eò quò digressus fui, nunc reuertor, ad Romanique statum Imperij iteratò vestigia tendo. Is enim instabilis semper à sui exordio velut forma Oceani maris alterna mutatione agitatus est, quæ omni die dispar nunc succiduis per septem dies tollitur incrementis, nunc insequentibus totidem diebus naturali defectu subducitur, vt humanus pernoscat animus mortalium potentiam quantum cunq; maximam fatis & fortunæ viribus subiectam; nec sub amplo cœli cardine rem esse vllam, quæ mutationem non sentiat. Nihil est enim, inquit Imperator, quod stare perpetuò possit. L. 2. C. de vet. iure enucl. Nam cum M L X annis & eo amplius domicilium clarissimi Imperij Romanæ arces fuissent, per Constantinum qui tricesimus octauus ab Augusto apicem conscendit imperij, ad Byzantium Thraciæ nobilissimam vrbem, nunc Constantinopolin dictam, sedes imperiumque translatum est. Cuius sanè mutationis ratio & casus hoc ordine historijs panditur. Cum magnus Constantinus, vtpote gentilis cultui

adhuc deditus idolorum, Christianorum plurimas strages per omnes prouincias perpetrasset, in incurabilem incidit plagam lepræ. Et cum à nullo curari posset, dixerunt pontifices Capitolij, piscinam debere fieri, ac puerorum sanguine repleri, in quo calido & fumante nudus descendens mox posset à lepra mundari. Mox igitur missum est, & supra tria millia infantium Romam adducti traditique sunt pontificibus occidendi. Cum autem Imperator ad Capitolium pergeret, vt ibi lauaretur in sanguine puerorum, occurrit ei multitudo mulierum, quæ resolutis crinibus & nudatis pectoribus vlulantes coram eo se strauerunt in plateis lacrymantes. Ille verò percuntatus caussam didicit has esse matres puerorum quorum effundendus erat sanguis, vt ipse in eo lotus sanaretur. Tunc ille facinus exhorruit, & prorumpens in lachrymas iussit stare currum quo vehebatur, & erigens se; *Audite me*, inquit, *comites & commilitones mei, & omnes populi qui astatis. Dignitas Romani imperij de fonte nascitur pietatis, qui hanc etiam legem dedi, vt capitali sententiæ subderetur, quicunq; in bello etiam occidisset infantem. Quanta ergo crudelitas est, vt hæc nostris faciamus filijs, quæ fieri prohibuimus alienis? Quid nempe*, ait, *iuuat barbaros superasse, si crudelitate vincamur? Victor namq; post triumphum vincitur, si pietas ab impietate superatur. Vincat ergo pietas in isto congressu. Melius enim est me mori salua vita innocentium, quàm per eorum interitum vitam recuperare crudelem.* Iussit ergo vt matribus suis pueri cum donis amplissimis redderentur. Ipse autem Imperator ad palatium suũ reuersus est. Sequenti verò nocte Petrus & Paulus apparuerunt ei dicentes; *Quoniam exhorruisti effusionem sanguinis innocentis, misit dominus Iesus Christus dare tibi recuperandæ sanitatis remedium. Syluestrum Episcopum, qui in monte Serapidis latitat, accersiri iube. Hic tibi piscinam ostendet, vbi tertiò immersus curaberis ab omni morbo lepræ. Tu verò hanc vicissitudinem reddas, vt idolorum templa destruas, Christiq; restaures Ecclesias, & eiusdem cultor fias.* Euigilans itaq; Constantinus illicò milites misit ad Syluestrũ, vt eum cum reuerentia exhiberent: qui milites videns ad palmam martyrij credidit se vocari.

cari. Deo autem se sociosque recommendans Constantino intrepidè præsentatur. Cui Constantinus assurgens ait: *Benè te ad nos venire gratulamur*; suique somnij per ordinem narrauit visionem. Percunctanti verò Constantino, quinam illi Dij forent, qui apparuerant ei, Syluester respondit, *Illos esse Christi Apostolos, & non Deos*; attulitq; imagines Apostolorum: quas vt Imperator aspexit, tales esse qui sibi apparuerant, acclamauit, sanctæq; doctrinæ Syluestri credidit, qui eum catechumenum fecit, & vnius hebdomadæ sibi ieiunium indixit, carceresque vbiq; monuit aperiri. Cumque in aquam descendisset baptismatis, mirabilis ei splendor emicuit lucis, quæ omnes exterruit & aspectus obtexit: sicquè inde mundus exiuit, Christum se vidisse asseruit. Prima autem die baptismatis (vt produnt historiæ) hanc legem dedisse fertur, *vt Christus ab vrbe Romana tanquam verus Deus coleretur*. Secunda autem, *si quis Christum blasphemaret, capite plecteretur*. Tertia, *quicunq; Christiano irrogassent iniuriam, bonorum suorum parte dimidia priuarentur*. Deinde Imperator ad Vaticanum beatique Petri tumulum venit, & de suis culpis lamentabiliter se incusans, accepto bidente ad fundamentum basilicæ construendum terram primus aperuit, duodecim quoque cophinos suis scapulis portando foras iecit. Tuncque Christianissimus princeps cum omnibus satrapis suis vniuersoque senatu de relinquenda vrbe, illamque in beati Syluestri suorumq; successorum dominium transferenda, consilium captasse dicitur: indignum existimans, vt vbi caput Christianæ religionis constitutũ est, illic Imperator terrenus habeat potestatem. Vnde & quarto die post lauacrũ regenerationis Romam cum territorio suo & plerasque alias prouincias per pragmaticum constitutũ Romanæ concessit ecclesiæ. Siquidem donationis pagina decretis inserta est, habeturq; 16. Dist. c. Constantinus. & huiusmodi sub tenore describitur. *Constantinus imperator quarto die sui baptismatis priuilegium Romanæ ecclesiæ pontifici contulit, vt in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices Regem. In eoq; priuilegio ita inter cætera legitur:*

Vtile

Vtile iudicamus vna cũ omnibus satrapis nostris & vniuerso Senatu, optimatibus, & cuncto populo imperio Romanæ ecclesiæ subiacenti, vt sicut beatus Petrus in terris vicarius filij Dei videtur esse constitutus, ita & pontifices, ipsius principis Apostolorum in terris principatus potestatem amplius quàm terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroq́ imperio obtineant; eligentes nobis ipsum principem Apostolorum, vel eius vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena Imperialis potentia, ita eius sanctam Romanam Ecclesiam decernimus veneranter honorari, & amplius quàm nostrum Imperium, terrenumq́ thronum sedem sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari, tribuentes ei potestatem, & gloriam, & dignitatem, atq́ vigorem, & honorificentiam imperialem, atq́ decernentes sancimus, vt principatum teneat tàm super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum ecclesias Dei: & pontifex, qui per tempora ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & eius iudicio quæ ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procurandæ fuerint, disponantur. Ecclesiis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, pro continuatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diuersis eas ditauimus, & per nostram imperialem iussionem sacram tàm in Oriente quàm in Occidente, vel etiam in septentrionali & meridiana plaga, videlicet in Iudæa, Græcia, Asia, Thracia, Africa & Italia, vel diuersis insulis nostra largitate ei concessimus, ea prorsus ratione, vt per manus beatissimi patris nostri Siluestri summi pontificis, successorumq́ eius, omnia disponantur. Et infrà. *Beato Siluestro & omnibus successoribus eius de præsenti tradimus palatium Imperij nostri Lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare assolet collum; verùm etiam chlamidem purpuream, atq́ tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, seu etiam dignitatem imperialem præsidentium equitum: conferentes ei etiam imperialia sceptra, simulq́ cuncta signa atq́ banna, & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam diuersi ordinis*

si ordinis reuerendissimis, clericis sanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, patricios & Consules effici, necnon & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialibus extat decorata militia, ita clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ adornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diuersis officijs cubiculariorum necnon & ostiariorum atq; omnium concubitorum ordinatur, ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et vt amplissimè pontificale decus præfulgeat, decernimus vt clerici eiusdem Romanæ Ecclesiæ mappulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decoratos equos equitent, & sicut noster Senatus calceamentis vtitur cum vdonibus, id est, candido linteamine illustrentur; & ita cœlestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus beato Syluestro, & successoribus eius ex nostro indicto, vt quem placatus proprio concilio clericare voluerit, & in religiosorum numero clericorum connumerare, nullus ex omnibus præsumat superbè agere. Decernimus itaq; & hoc, vt ipse & successores eius diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis pretiosis, vti debeat pro honore beati Petri. Ipse verò beatissimus Papa super coronam clericatus quam gerit, ad gloriam beatissimi Petri, ipsa ex auro non est passus vti corona. Phrygium verò candido nitore splendidum, resurrectionem dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus: & tenentes frenum equi ipsius pro reuerentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem Phrygio omnes eius successores singulariter uti in processionibus ad imitationem Imperij nostri. Vnde vt pontificalis apex non vilescat, sed magis quàm terreni imperij dignitas, gloria & potentia decoretur: ecce tàm palatium nostrum, quàm Romanam vrbem, & omnes Italiæ, siue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatissimo Pontifici, & vniuersali papæ Syluestro concedimus atq; relinquimus, & ab eo, & à successoribus eius per pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atq; iuri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Vnde congruum perspeximus, nostrum imperium & regni potestatem ab Orientalibus transferri regionibus, & in Byzantiæ pro-

vincia optimo loca nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic imperium constitui. Quoniam vbi principatus sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc verò omnia quæ per hanc imperialem sacram, & per alia diualia decreta statuimus & confirmamus, vsq; in finẽ mundi illibata & inconcussa permanere decernimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit, & corã terribili eius iudicio obtestamur omnes nostros successores Imperatores, vel cunctos optimates, satrapas etiã, amplissimumq; senatũ, & vniuersum populũ in toto orbe terrarũ, nunc & in posterum nulli eorũ quoquo modo licere hæc aut infringere, aut in quoquam conuellere. Si quis autẽ (quod non credimus) in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subiaceat innodatus: & sanctos Dei, principes Apostolorũ Petrum & Paulum sibi, in præsenti & futura vita sentiat contrarios, atq; in inferno inferiori concrematus, cum Diabolo & omnibus deficiat impijs. Huius verò imperialis decreti paginam proprijs manibus roborantes super venerandum corpus beati Petri posuimus. Data Romæ, 3. Kal. Aprilis, Constantino Augusto. IIII. & Gallicano. IIII. Coss.

Quamquam autem apud multos curiosos legistas vertatur in dubium, an huiusmodi Constantini donatio facta ecclesiæ Romanæ de terris Imperij, de iure subsistat, vt recitat Bart. in proœm. Digest. & gl. iuris ciuilis huius dubij partem negatiuam adstruere videatur, in Authent. quom. oport. episcop. in princip. Collat. 1. & gl. in l. 1. §. in vrbem. D. de offic. præfec. vrb. Apud Canonistas tamen nulla ambiguitas est, quin perpetua firmitate subnixa sit, quod clara voce approbat text. in c. ego Ludouicus. 63. distinct. Et Imperator tempore approbationis electionis de se factæ, de tuendo & defendendo Romanam ecclesiam in iuribus sibi concessis solemne hodie præstat iuramentum, vt text. innuit in clem. ne Romani. de iureiur. cuius iuramenti forma in decretis est 63. Distinct. c. tibi domino. & postea latius patebit. Ex antiquioribus etiam gestis habetur, quòd in huiusmodi rei argumentum Pontifex summus dominicam resurrectionis coronam, quam Constantinus Imperator beato Syluestro

suisq;

suisque successoribus contradidit, capiti suo imponere debet. Et dominus Imperator in beatorum apostolorum Petri & Pauli solemnitate coronam & sceptrum & cætera imperij insignia, quæ dominus Leo papa Karolo Francorum regi, successoribusq; suis tradidit, debet gestare : in argumentum à beato Petro & eius vicem gerentibus illa donata fuisse. Vt autem ad rem transeam, inclytus Imperator rebus omnibus Romæ benè dispositis, almam relinquens Romam antiquam & originariam Imperij sedem, speculum gentium, orbisque florem, quæ quondam omnibus populis admirationi fuit; apud Constantinopolin Græciæ nobilissimam vrbem, vbi terminatur Europa & incipit maior Asia, sibi & successoribus suis depost imperialem statuit curiam, domiciliumq; sacro consecrauit Imperio: quam dum primitus Byzantium vocaretur, auxit, & maximo eam muro circumdedit, diuersisq; ornatam fabricis æquam imperiali Romæ constituit, & à nomine suo denominatam Constantinopolin, appellari eam Secundam & Nouam Romam lege firmauit, sicuti lex ipsa in marmore fuit conscripta, & in strategio iuxta equestrem statuam eius fuit constituta. Nouamque Romam illam appellat etiam canon in d. c. de Constantinopolitana 22. Distinct. & Lex ciuilis, vt in l. omni natione. C. de sacros. eccles. Ea itaq; summa liberalitate ditata, in illustribus domibus eos qui ab vrbe Roma erant viros rationabiles collocauit, & ex alijs locis secundũ genus eligens, & domus magnificas eis distribuens, vt habitaretur ciuitas egit. Fuit autem huiusmodi translatio sedis facta, prout chronographi scribunt, anno Domini nostri CCCXI. In Constantinopoli ergo post Constantinum Magnũ & Christianissimum principem fortissimus deinceps Romanorum principatus permansit : vsque quo in germanos Imperium translatum est. Postea enim hi, qui apud Constantinopolin regnabant, solo nomine Imperij retento Græcorum potius quàm Romanorum Imperatores appellati sunt. Sed quibus te nunc lachrymis atq; lamentis prosequar, inclyta Constantinopolis, nescio: quæ non solùm vtroque Imperatore tuo viduatam te cernis

hodie, sed & in multo carissimorum ciuium tuorum sanguine virgineoque effuso cruore, Christiano etiam corpori subtracta es: dum te nuper auxilia petentem vndique, nec impetrantem, impijssimus Turcorum princeps Christiani nominis cruentissimus & accerrimus hostis cum innumerabili Saracenorum multitudine in deditionem cepit, sanctuariaque optima Dei nostri prophanauit, anno incarnationis eiusdem MCCCCXX. nona mensis Iulij. Enimuerò plangendum est valde eam vrbem sub infidelium imperio nunc ancillari, quæ toti quondam Orienti leges dedit. Sedet itaq; iam in tristitia domina gentium, & non est ex omnibus qui consoletur eam.

De varijs magistratuum dignitatibus & officijs, quibus tàm in veteri quàm noua Roma latè regebatur imperium.

CAPVT XII.

ETsi imperialis potentia tàm in noua quàm veteri Roma varijs (vt decuit) dignitatibus & officialiũ officijs fuit decorata, duodecim tamen dignitatibus præcipuis in corpore legum comprehensis adornata fuit, quas ex ordine recitat eximius legum monarcha dominus Ioh. de Plat. in l. curialibus. C. de decur. lib. 10. Quarum prima fuit & maxima dignitas patriciatus. Est autem patricius quasi pater principis. Instit. quib. mod. ius pat. potest. sol. §. filiusfamilias si militauerit. & ibi gl. & hanc nemo habere potest nisi habuerit alias dignitates. Secunda dignitas fuit consularis. Et dicitur Consularis, qui habet dignitatem consulis. Tertia subinde dignitas est præfectorum prætorio, scilicet aliorum quàm Orientis, de quo infra specialiter dicetur. Hi autem præfecti constituebantur per diuersas diœceses prouinciarum, vt dicit gl. in L. præall. Quarta dignitas fuit præfecti vrbis, siue is fuerit præfectus vrbis Romæ, siue Constantinopolitanæ, quæ gaudet prærogatiua vrbis Romanæ, & appellatur

latur secunda Roma. L. ista. C. de priuileg. vrb. Constip. lib. 11. & dixit text. in Auth. vt ordo praefect. collat. 9. vrbanae praefecturae senioris Romae, & nouae, vt supra tetigi. Quinta dignitas est magistri militum. Nam praefectus vrbi, & praefectus praetorio, & magister militum, & peditum, sunt in pari gradu dignitatis, & ille praecedit, qui primò fuit dignitatem adeptus. L. 1. & 2. C. de praefec. praetor. siue vrb. & mag. milit. Sexta dignitas est quaestoris sacri palatij, & quaestor dicitur tribus modis, vt recitat gl. in procem. Instit. in ver. ex quaestore. Primò dictus est quaestor ille qui quaerebat pecunias tributorum per mundum & seruabat: secundò, ille qui praeerat capitalibus caussis: tertiò dicebatur quaestor, qui stabat vt legeret libros principales, qui candidatus principis dicebatur. Septima dignitas est praefecti Orientis, & Illyrici, id est Sclauoniae, de quo praefecto habetur C. de Offic. praefec. Orient. Octaua dignitas togatorum & aduocatorum fisci. Erant enim duo aduocati electi & deputati pro fisco imperiali, quorum officium finiebatur biennio: & priuilegia aduocatorũ fisci habent etiam aduocati praefecturę quaestoris, & praefecturae Orientis, ac praefecturae vrbicariae, id est vtriusque vrbis. Et huiusmodi fisci aduocati post depositum etiam aduocationis officiũ manent in dignitate clarissima. Noua dignitas est principum agentium in rebus, & isti sunt clarissimi. Et dicuntur agentes in rebus, scilicet vehendis, vt illi qui erant deputati ad pecuniam publicam portandam per prouincias, ad conducendum naues, & ad ferendum annonam publicam. Principes autem istorum sunt in spectabili dignitate, & habent multa priuilegia. Tres vltimae dignitates sunt Proximorum sacrorum scriniorum, qui sunt spectabiles. Et dicuntur proximi quòd erant prope principem, & militabant in sacro Palatio principis: & istorum triplex erat dignitas & officium. Aliqui namque deputati super scrinio memoriae principis: alij scrinio epularum, alij verò scrinio libellorum, cognitionum & sententiarum: & isti finita administratione remanebant Comites consistoriani primi vocabantur protonotarij. Fuerunt & alij de-

putati ad peragenda signandaq; responsa principis, & isti dicebantur referendarij. Ordines autem dignitatũ & magistratuum erant quinq;, vt not.gl. in l.qui indignus. D.de Senator.& gl. in l. quæ super eos sunt.coll. 5. Et sunt hi descensiuè: scilicet superillustres, illustres, spectabiles, clarissimi, & infimi. superillustris est Papa, Imperator, patricius & consul. Illustres sunt Senator, præfectus prætorio Orientis & Illyrici, præfectus Africæ, præfectus vrbi, quæstor, comes largitionum. Spectabiles sunt magistri militum, prætor, præfectus vigilum, proconsul, præfectus Augustalis, præfectus Ægypti, Comes rerum priuatarum, Comes Orientis, & Comites prouincias regentes, Tholosæ: non tamen Comites Italiæ & Alemaniæ spectabiles computantur. Clarissimi sunt præsides prouinciæ, & rectores ciuitatũ, & principes agentes in rebus. Infimi verò magistratus sunt defensores ciuitatum & locorum, & magistratus municipales, qui non cognoscunt vltra 300. aureos: & iudex pedaneus qui cognoscit de paruis causis, de quibus etiam omnibus tractat Specul. in Tit. de iurisdic. om. iudic. His itaque latè regebatur imperium. Et primi quidem quatuor ordines magistratuum merum & mixtum habuerunt imperium, id est, iurisdictionem in criminalibus, & pœnas sanguinis poterant irrogare. Infimi verò magistratus, vt sunt Potestates terrarum, licet simplicem iurisdictionem, non tamen merum & mixtum imperiũ exercuerunt, nec hodie possunt, nisi ex priuilegio vel iure regalium, vt in extrana. De pace Constant. licet plures communitates, imò castella & exiguæ villæ terrarum, vbi per simplicissimos rusticos ius reddi consueuit, ex consuetudine merum imperium sibi hodie vsurpent, per quod membra mutilant & ad mortem condemnant: quam tamen consuetudinem seu vsurpationem potest Imperator, quandocunque voluerit, reuocare: quia contra absolutam potestatem principis non potest præscribi, & omnis consuetudo potest ab eo cassari, tanquã contra legem prohibentem introducta, vt in c. 1. De constit. & Auth. nauigia. C. de furt. Fuerunt autem & quamplures alij officiales, per quos Imperator regebat.

gebat. Sed ne nimium ad extranea vagetur calamus, translationem Imperij factam à Græcis ad Germanos nunc demum adgrediendam esse censeo.

De Romani imperij à Græcis in Germanos translatione.

CAPVT XIII.

MEritissimam dignissimamq; Imperij in Germanos translationem aggressurus nonnihil timeo, ne serenissimas veterum Germanorũ virtutes stilo condecenti exæquare valeam. Ita enim vbertim se vndiq; exhibent maiorũ clarissima & fortissima gesta, vt longè facundiorẽ præconem exigere videantur. Sed meminerim narrationis me subijsse onus. Translato in Orientales regiones Græcorumq; ditionẽ imperialis celsitudinis Solio, Romanum imperiũ longo pòst æuo felici statu refloruit. Christianis namq; optimis principibus respublica administrata, relligio Christiana in immensum aucta & in summo tranquillitatis culmine collocata est: permansitq; dominiũ Orientis apud Romanorũ imperatores à Constantino Magno vsq; ad vicesimum annũ Heraclii, quo tempore omnes ferè Orientales populi, videlicet Persæ, Arabes, Chaldæi, & aliæ confines nationes à Romani imperij dominio recesserunt. Causam autem discessionis, scribit Richardus episcopus Cremonensis fuisse tyrannicũ principatum Heraclij. Is enim post magnam victoriam de Persis habitam, Persas & alias orientales nationes nimis crudeli dominatu premebat, propter quod rebellandi occasionem concorditer assumserũt; sed vt ab obœdientia prædicta sic recederẽt, vt nunquam ad eandẽ reuocarentur: amplius con[illegible]lio Mahometi, tunc inter Persas diuitis & potentis, diuersum [illegible] assumunt, vt causa diuersitatis credulitatis & fidei suæ siu[illegible] ad pristinũ dominum de cætero non redirent. Merobo[illegible]can sumentes exemplum,

emplũ,qui decem tribubus ipsum sequentibus diuersum cultũ tradidit,vt ad indebitũ & pristinum dominiũ non rediret. Quod consilium etiã Græci fecerũt: volentes enim ab ecclesiæ Romanæ obœdientia separari, acceperunt diuersum cultũ siue ritũ in Ecclesia ministrandi, sicq; in diuersos errores scientes prolapsi sunt. Vt autem chronica ab Anastasio Romanæ ecclesiæ bibliothecario de Græco in latinũ translata, & Richardus etiam in sua chronica narrat, præfatus Pseudopropheta Mahometus natione Arabs fuit, vilis genere,antiquæ primũ idolatriæ cultor, sicut & alij Arabes tunc adhuc erant, ineruditus nullarum penè literarum, strenuus in secularibus,eloquens valde, ac calliditate multa de ignobili & egeno in diuitem & famosum profectus. Hic paulatim crescendo, & contiguos quosque & maximè sanguinis propinquos insidijs, rapinis, incursionibus frequenter inuadendo, quos poterat furtim, quos poterat publicè occidendo terrorem sui auxit, & in congressionibus factus superior ad regnum suæ gentis aspirare cœpit. Cumque vniuersis pari modo resistentibus eiusque ignobilitatem contemnentibus videret se hac via non posse consequi quod sperabat; quod vi gladij non potuit, religionis velamine & diuini prophetæ nomine rex fieri attentauit. Et quod inter barbaros barbarus,inter idolatras & ipse idolatra habitabat, atque inter illos, quos vtpote præ cunctis gentibus tàm diuinæ quàm humanæ legis ignaros faciles ad seducendum esse nouerat, conceptæ iniquitati dare operam cœpit. Et quoniam prophetas Dei magnos fuisse homines audierat, prophetam eius se esse dixit, vt aliquid boni simularet: iudicioq; illius, qui terribilis in consilijs dicitur super filios hominum, & miseretur cui vult, & quẽ vult indurat, dedit Sathan successum errori, & Sergium monachum hæretici Nestorij sectatorem ab ecclesia expulsũ pseudoprophetæ coniunxit, & quod illi deerat, Sergius suppleuit, scripturasque sacras tàm veteris testamenti quàm noui secundũ magistri sui Nestorij intellectum (qui salutarem nostrum Deum esse negabat) prout ei visum est, ei exponens,diuersis eum fabulis & erroribus, quibus Alcoranũ

suum

fuum contexuit, imbuebat. Is itaque contra ſceptra imperij & fidem noſtram orthodoxam, permittente Deo, paulò pôſt magni & primi Gregorij Papæ tempore, circa annũ Domini noſtri ſexcenteſimũ, ſub Heraclio Auguſto progrediens ſicut coluber ſui peruerſiſſimi & ementiti dogmatis in omnem ferè Orientem virus euomuit, & iam ferè tertiam humani generis partem (neſcimus quo Dei iudicio) inauditis fabularum deliramentis Diabolo & morti æternæ contradidit. Arabes namque primum regiones Imperij deuaſtantes vſque in Syriam peruenerunt & Iudæam: contra quos egreſſa eſt innumera militia imperatoris Heraclij, totaque fuit per hoſtes occiſa. Inde in audientiam eleuata gens Mahometi intrauit Aegyptum, ibique populum ſubuertit. Tranſeuntes poſtea in Africam ſimile ibidem fecerunt. Vnde in Hiſpaniam etiam venientes eam in parte fidem Chriſtianam dimittere coëgerunt. Sed cum nihil omninò tentarent bellare contra Francos, Pipinus victorioſiſſimus Francorum & Germaniæ rex recuperata Hiſpania circa Rhodanum flumen, & poſt eum in Gallia Karolus filius eius potentiſſimo bello Saracenorum totaliter deleuit exercitum multitudinis infinitæ. Terris autem imperij per Orientem & Meridiem à Saracenis vbique occupatis, inualeſcente nimio eorum potentatu & rebellione gentium, vſque adeò Sacrum imperium exinanitum eſt, vt Conſtantinopolitani Imperatores tandem ferè ſolo nomine imperare viderentur. Vnde cum annis tantũ c c c c x v. ſacram Imperij arcem tenuiſſet Græcorum potentia; rurſum ab Oriente in Occidentem, à Græcis in potentiſſimos Germanos non ſine ſupernæ diſpoſitionis fato Romanum imperium tranſlatum eſt. Et quoniam huius tranſlationis hiſtoria propter ſcribentium varietatem & principium ignoratum communiter eſt ignota, quam tamen Landulphus de Columna ſatrapa Romanus ſtudioſè recollegit: idcirco ſciendum & diligenter attendendum, quòd prima occaſio huius tranſlatiouis fuit diſcordia inter Imp. Leonem tertium & Romanam Eccleſiã circa venerationem eccleſiaſticarũ imaginum. Leo enim tertius Imp.

dicebat, Christi & Sanctorum imagines minimè venerandas, quòd species idolatriæ videretur. Gregorius verò tertius qui tunc Romanæ præsidebat ecclesiæ, contrarium dogmatisauit. Imperator autem in sua sententia perseuerans eousque contra Papam exasperatus est, vt Romam veniens omnes Christi & Sanctorum imagines quas Romæ reperit, aufferret, asportansq; illas secum Constantinopolin eas per sententiam igne damnando concremauit. Propter quod dictus Gregorius Imperatorem anathematisauit, totamq; Apuliam & Italiam atq; Hesperiam ab eius dominio & obœdientia separari suasit: tuncque trãslatio Imperij cœpit aliqualiter tractari. Leone autem Augusto in sua pertinacia mortuo successit ei in Imperio filius eius Constantinus quintus eiusdem cum patre propositi, qui nullo modo Romanæ fauebat ecclesiæ. Vnde mortuo Gregorio Papa tertio Stephanus secundus natione Romanus, qui eidem in papatu successerat, imperium Romanum transferri de Græcis in Germanos aliqualiter ordinauit. Vt autem causa huius translationis clarius innotescat, historiam prosequor, quam recitat gl. in c. venerabilem. De elect. Sed quòd festino pede historiam ibidem pertransit glossa, latius pandentibus * illam assumo. Astulphus rex quondam Longobardorum suo tempore ecclesiã Romanam opprimere, & tributa à Romanis vi exigere cœpit. Occupauit autem totam Thusciam cum valle Spoletana: & cum nulla esset reliqua spes Romanis, beatus Stephanus Papa secundus à Constantino huius nominis sexto & filio eius Leone tunc Imperatoribus Romanorum auxilium petiit: & cum patrocinari nollent, Papa ad Pipinum Franciæ & Germaniæ regẽ, vtpote christianissimum principem confugit. Pipinus autem eius aduentu audito ad tertium milliare illi occurrit, & vsque ad palatium suum regium eum cum honore deduxit. Tunc Papa causam sui aduentus Regi exposuit, illumque fide, spe, & lachrymis deprecatus est, vt causam beati Petri & reipublicæ Romanorum fidelis assistentię præsidio commendatam susciperet. Pius autem rex ex Germanis & Francis potenti collecto exercitu cum

* Deest vocula.

cum ipso Pontifice contra Astulphum Italiam ingreditur. Astulphus verò totis viribus contra Pipinum parat exercitum. Pugna igitur magna committitur, & Astulphus cum suis superatur, ad restituendaque ecclesiæ Romanæ ablata compellitur: qui datis obsidibus quadraginta ex melioribus regni sui sub iuramēto illa restituere promisit. Pipinus autem rex victor in patriā cum gaudio remeauit. Cum Astulphus fidem falleret, nec seruaret promissa; Pipinus iterum Italiam ingreditur, Astulphumq; Papiæ obsessum vrbes inuasas & ea quæ iuris S. Petri fuerant, ecclesiæ Romanæ restituere compellit anno Domini 756. His autem beneficijs Stephanus Papa prædictus allectus, Romanum imperiū transferri à Græcis in Germanos procurauit, sed morte præuentus nondum in vita sua id fecit. Et quanquam gl. præall. in c. venerabilem, innuere videatur, eo tempore ob id meritum translationem esse factam: atque textus in eod. c. dicit, translationem huiusmodi in persona magnifici Karoli esse factam, qui tamen adhuc puer arma contra Astulphum non nouerat: Ideò prædicta gl. & similes scripturæ intelligi debent, quòd illo tempore ordinatà fuit translatio, tempore verò Leonis tertij fuit illa consummata, vt ex sequentibus apparebit. Defuncto autem Pipino Karolus filius eius, qui ob virtutum magnitudinem dictus est Magnus, patri successit in regnis, & (vt quidam aiunt) anno ætatis suæ 18. Accidit autem iterato, vt Adrianus primus natione Romanus de regione Molata, qui post Stephanum secundum tribus pontificibus intermedijs apicem pastoralis regiminis tenebat, à Desiderio rege Longobardorum, Astulphi successore infestaretur: ob quam causam Papa legatum suum Petrum presbyterum Cardinalem ad Karolum Pipini filium & imperatoris Græcorum consanguineum misit deprecans, vt ecclesiam & populum Romanum de superbi regis tyrannide liberaret. At idem christianissimus princeps confestim eidem Regi nuncios suos destinauit, exhortans vt ciuitates quas Romanæ ecclesiæ abstulerat, redderet, & plenariā Romano pontifici iusticiam exhiberet: sed neq; precibus neq; exhortationibus

ferociſſimum cor eius flecti valuit. Tunc congregans rex Karolus vniuerſam regnorum ſuorum multitudinem, ducum, principum, marchionum, & aliorum fortiſſimorum militum, contra Deſiderium arma arripuit. Et ſicut in mare omnia fluere videntur flumina; ſic gentes Teutonicorum, Francorum, Anglorum, cæteroſque populos Italiam ingredi videns, Deſideriumque Papiæ potenter obſedit. Et (vt hiſtoria Eccleſiaſtica profert, & habetur in Decretis in c. Adrianus. Diſt. 63.) Karolus relicto in obſidione vrbis exercitu Romam cauſa deuotionis acceſſit: ibique cum Adriano Papa paſcha dominicum ſimul egit, factaque ſolennitate paſchali ad Papiam reuerſus in decimo obſidionis menſe Deſiderium cum vxore & cunctis principibus ſuis cepit. Ibique omnes aduenientes Italici de ſingulis ciuitatibus ambaſiatores & nuncij ſe dominio regis Karoli ſubiecerunt. Quibus ſic feliciter expeditis Romam accedens temporalia eccleſiæ Romanæ reſtituit. Tunc dictus pontifex Adrianus beneficijs dicti principis allectus in patriarchio Lateranenſi in eccleſia S. Saluatoris ſynodum conſtituit, quæ à 153. epiſcopis & abbatibus celebrata eſt. Ibiq; cum vniuerſa ſynodo glorioſo principi Karolo ius & poteſtatem tribuit ſedem apoſtolicam ordinandi: dignitatem quoq; ampliſſimam patriciatus eidē conceſſit, qui olim quaſi pater principis videbatur. Inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere deffiniuit. Sed cum in proceſſu temporū priuilegium iſtud de Epiſcoporū ordinatione Imperatoribus conceſſum, retorqueri videretur in diſpendium eccleſiarum; ſalubri poſteà reuocatione ſublatū eſt, vt patet 63. Diſt. §. verum. Poſtmodum verò & non multis reuolutis annis mortuo Adriano prædicto Leo tertius natione Romanus in Romanum pontificem ſublimatur. Sed cognati beatæ memoriæ Adriani Papæ commouentes populum tumultuati ſunt contra Leonem. Captus itaque in Roma excæcatus eſt & lingua truncatus. Eius tamen lumen non penitus extinguere potuerunt, qui poſitus in cuſtodia nocte per murum euaſit, ad prædictumque Karolum tanquam

tanquam præcipuum Ecclesiæ protectorem venit in Saxoniam, & iniuriam sibi illatam amarè illi conquestus est. Vnde etiam iterum post maxima & gloriosa eius certamina Karolus cum dicto Pontifice Romam venit, vbi Leonem sedi suæ restituit, & temeratores iuxta leges Romanas capitali sententiæ mancipauit: sed precibus Papæ vita concessa in exilium perpetuum eos relegauit. Eodem autē tempore (vt scribit Aymonius in gestis Francorum) quidam abbas, nomine Zacharias, cum duobus monachis, vno de Monte olíueti, & altero de S. Saba Romam venit: quem patriarcha Ierosolymitanus transmisit, qui sepulchri Dominici & terræ sanctæ suppressionem intimarent. Rex autem ea legatione, quàm etiam petitione Constantini sexti tunc Romanorum imperatoris commotus, cum magno exercitu transfretauit, totamq; terram sanctam recuperauit. Iamq; totum Orientem fama celebris gloriosi regis Karoli percurrebat: sic quòd rex Persarum qui monarchiam tunc in Oriente tenebat, eius habere beneuolentiam affectaret, eidemq; per solemnes legatos preciosa munera destinaret. Rex autem Karolus vbiq; victoriosus per Constantinopolin Romam redijt, & natalē Domini cum Leone Papa solemniter celebrauit. Tuncq; Romana Ecclesia matura & diligenti præhabita deliberatione attendens Græcorum vires penè esse confractas, ad reiq; publicæ defensionem tardas minusque vtiles; Germanos verò, quorum eo tempore celebre nomen erat, esse viros fide firmissimos, vsu promptos, robustos viribus, in hostes alacres, belloque & armis potentissimos, atque ad Christianum regendum imperium aptissimos; præcipuè quoq; volens & ipsa Ecclesia vicem Karolo tantorum recompensare meritorum: Vnde Romanum imperium Græcis abstulit, & ablato Patricij nomine in sua persona, in nobilissimos id transtulit Germanos. Sed diu resistens magnificus princeps tandem precibus Leonis Papæ & principū regni omniumq; primatuum & Romanorū deuictus, tàm Dei quàm hominum voluntati consentiens, cum magno vniuersalis cleri plebisq; tripudio ipsa celeberrima die Natalis Domini nostri Iesu

Christi, anno incarnationis eiusdem 801. (Secundum Iohannē Andreæ autem 753) à creatione verò mundi 4765. Romæ in ecclesia S. Petri apostoli, & ibidem ante altare summum à Papa Leone consecratus est & vnctus Romanorum Imperator, ipso papa coronam auream capiti eius imponente; in iubilo cordis & oris Romano clero & populo acclamante: *Karolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico imperatori Romanorum, vita & victoria.* Is itaq; primus omnium Imperatorum post Christi natiuitatem vnctus est: & bis equidem. Primò namque in Francia cum fratre suo Karolomanno abhuc puer in regem: deindè Romæ in imperatorem. Et ex eo tempore Reges & Imperatores more antiqui Dei populi inungi cœperunt. Karolus autem Cæsar omnibus benè dispositis in Germaniam remeans plurimos Comites, Barones, prætores & nobiles Romanos, qui ei adhæserant, secū duxit; per diuersasq; regnorum suorū plagas dispersit: aliquos vt strenuos bellatores, aliquos verò legum imperialium scribas & doctores peritissimos: aliquos tum quoque vt seditiosos, ne de cætero sedem Apostolicam molestarent, ad Alemaniam inter alios ibidem nobiles distribuit, & propter antiquæ & innatæ seditionis suspicionem, vt sagax princeps, in eodem loco eosdem non collocauit: aliquos etiam vt suæ imperialis curiæ assiduos ministros habuit, & diuersis ministerijs præfecit, quousque senilem ætatem attingentibus in regni & imperij sui finibus eis iuxta genus & merita cuiuscunque comitatus, baronias, castra, dominia & terras assignauit. Aliqui etiam ex prædictis castra & domos sibi de nouo fundantes incolas se Alemaniæ perpetuos fecerunt: & pauci eorundem, præsertim in vita Karoli, in Italiam remearunt. Cum autem ipse diuus Imperator in paterna regna deuenisset, per omne imperium suum legatos misit, mandans omnibus iudicium facere & iusticiam: relligionem etiam Christianam summopere ampliare satagebat. Et cum ecclesiam Sanctæ Dei genitricis Aquisgrani à fundamentis erexisset, dedicationem eius celeberrimè egit, præsentibus illic beatissimo Leone papa, metropolitanis quoque & episcopis numero 365,

ro 365, excepta innumerabili multitudine Ducum, Marchionū, Baronum tàm Bauariæ quàm Alemaniæ & vtriusque Franciæ. A quibus omnibus in vnum congregatis christianissimus princeps ob nimiam, quam erga eundem locum gerebat deuotionem, obtinere meruit, vt in eodem templo sedes vnctionis regiæ in futurum constitueretur, locusque regalis & caput Galliæ transalpinæ haberetur, ac in ipsa sede reges successores imperij initiarentur, vt sic initiati imperialem dehinc benedictionem Romæ ab apostolico pontifice plenius assequerentur. Confirmatum itaque & sancitum est à domino papa Leone & Karolo Augusto, quatenus ratum hoc statutum decretumque maneat inconuulsum, & Aquisgrani sedes regni trans alpes perpetuò habeatur. At cum plurima bella rex & imperator potentissimus (vt Francorum series gestorum plena est) per annos 47. in diuersis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessisset, spiritum Domino reddidit, sepultusque Aquisgrani: cuius exequijs Leo papa cum principibus Romanis Archiepiscopi & Episcopi, multi Duces, Marchiones, Comites, Barones, Prælati & Nobiles innumeri interfuerunt. Tunc quoque corpus defuncti vestibus imperialibus indutum, aureaque corona capiti imposita, & deinde super auream cathedram sedendo locatum est: ac super genua textum quatuor euangeliorum aureis literis scriptum collocantes, ita quòd manus dextra textū, sinistra verò sceptrum tenebat aureum. Catenulam quoque auream diademati coniunxerunt, & cathedram super quam sedebat, ne caput decideret, affixerunt. Sed & scutum aureū, quod ei Romani fecerant, ante faciem eius statuerunt. Post hunc itaque Karolum imperium Romanum cis mare Francorum regibus, qui & Alemaniæ regnum gubernabant, administrandum cum Cæsaris imperatorisque Augusti nomine commissum est. Vnde deficiente in Francia & facessente regio stemmate Romanum imperium à Teutonicis administratum est vsque in hodiernum diem.

Sed posset historiarum imperitus inpræsentiarum mouere quæstio-

quæstionem, Cur Pontifex summus in persona magnifici Karoli Romanum imperiũ transferre voluit potius in Germaniæ quàm Francorum gentes: cũ tamen ipse diuus princeps simul & Francorum rex esset,& Germaniæ regni primatum teneret; & cum vtriusque potentia populi rerum gestarum gloriam summa cum laude compararit. Ad quod illi respondemus, quòd etsi gloriosissimus Occidentis monarcha post mortem Pipini patris Francorum regnum esset adeptus & Galliarum : attamen quia reges Francorum dudum ante Pipinum totã Teutonicam cum regno Franciæ administrabant,& multiplicata prole regia partiti sunt,& alia in Francia, alij in Alemania residebant: vnde & hac causa Karolus in Germania & villa Ingelheim natus fuerat, ab vrbe Moguntina duobus ferè distãte milliaribus, & à Pipino patre non solùm Franco, sed & Teutonico,quem Zacharias Papa substituerat Ludouico regi Francorum, quem deposuerat, de quo legitur 15. q. 6. Alius enim prius Pipinus erat maior domus regiæ, cuius palatium fuit in Treueri, à quo pallatio Comites processerunt Palatini, indeque nomen traxerunt. Quamobrẽ & ipse Karolus se intitulauit Francum, Germanicum, &c. vt in lege sua canonisata 11. q. 1. §. hoc si quis, ibi: *mandando volumus atq; præcipimus, vt omnes nostræ ditioni subiecti tàm Romani, quàm Franci, Alemanni, Burgundiones, Saxones, Thoringi, Frisones, Galli, Britones, Langobardi, Vascones, Beneventani, Gothi, Hispani, cæteriq; omnes subiecti nobis, &c.* Et Gotifridus in sua chronica hunc de ipso cecinit versiculũ: *Romuleus matre, Teutonicusq; patre.* In eo enim concurrebat genus Græcorum, Romanorum & Germanorum : ideò dignissimus erat imperio. Sed quoniam Germanus natus erat, amplissimisque præcipuè Teutonicorum viribus & clarissimis iam rerum gestis magnificatus totum orbem suo fulgore illustrauerat, ideò meritissimè in sua persona in Germanos imperium translatum est. Dicit enim gl. in c. ego Ludouicus. 63. distinct. *Teutonicos virtutibus promeruisse imperium.* & idem dicit in c. ex his. 28. q. 1. Non solùm autem ipse Pipinus, sed & plerique alij sedem in regione Germanorum habuerunt: vt Adalri-

Adalricus ille genitor sanctæ virginis Otiliæ, qui cum itidem maior domus regiæ esset, ducatum Germaniæ adeptus est, habuitq; sedem in villa regia Ehenheim, & in nobili castro Hohenburg. Imò si gesta antiquissima repetamus, reges Francorum primam sedem in Germania habuerunt: sed dum bello & armis Galliam subegissent, vtrobiq; manere cœperunt. Est & altera huius translationis causa, diuinæ dispositionis fatum, vt infrà titulo proximo apparebit.

Quòd diuino præsagio Romanum Imperium transferendum fuit nobilißimos in Germanos.

CAPVT XIIII.

DVdum autem huiusmodi translationem factam Deus præmisso consilio Romanum imperium gubernandum fore per Germanos definiuit: cuius sanè rei gratia pastoralis ille beati Petri baculus suo tempore in Germaniam destinatus est; cuius missionis historiam simul ac mysterium tradit gl. in c. vnico. de sac. vnct. Sed latius assumo illam. Beatus Petrus apostolorum apex cum ad prædicandum Gallis & Germanis sanctæ Trinitatis fidem tres viros & sanctitate vitæ & literarum doctrina plurimũ præditos ad partes illas destinaret, videlicet Eucharium, Valerium & Maternum, & in nobilem Alsatiã (quæ Germaniæ, tunc verò Galliæ Belgicæ prouincia erat) peruenissent: accidit vt beatus Maternus in villa, quæ Legia dicitur, naturæ debitum persoluens moreretur. Cuius corpus Eucharius & Valerius terræ commendantes, eadẽ qua venerant via magna cum festinatione ad vrbem Romanã reuersi, & dũ starent in conspectu eius, dicebant: *Petre Sancte, ecce noster collega Maternus viam est vniuersæ carnis ingressus, atq; sepultus: non autem expedit absq; tertio sine tuo mandato progredi: supplicamus, vt alium suo loco nobis adiungas.* Et respondit beatus Petrus; *Non ita faciendũ est fratres. Illa enim quæ di-*

citis, contigerunt, vt manifestetur gloria Dei in gentibus. Accipite, inquit, *hunc baculum meum; cumq; ad locum veneritis sepulturæ, corpus extrahite, illudq; contingite baculo dicentes: Imperat tibi Christus filius Dei & seruus eius Petrus, vt resurgas ac iniunctum tibi officium nobiscum exequaris.* Mox itaque Eucharius & Valerius iter quo venerunt, remeantes ad Legiam, vbi Maternum condiderant, quadragesimo sepulturæ eius die peruenerunt, implentesq; Apostolicum præceptum coram sepulcro astiterunt, suprascripta verba pronunciantes. Illicò cadauer se erexit, animaq; cum corpore coniuncta est, qui sanus & incolumis cum fratribus ambulauit, disseminantes verbum Dei. Quod miraculum vbi populus Alsatiæ vidit, glorificauit Deum, baptisataque est die illa multitudo hominũ copiosa. Vnde dicimus, spiritu prophetico baculum ad Germanos transmissum: ob quam causam simul & mysterium illius Romanus pontifex instar aliorum pontificum baculo pastorali hodiè non vtitur, vt dicit text. iuncta gl. in præalleg. c. vnico. De sac. vnct. & de consecr. dist. 1. c. nullus. dist. 17. c. disciplina. Est autem prædicta historia non solùm litteraliter, sed etiam per allegoriam siue typicè intelligenda. Quid enim per Petrum Apostolorum principem ecclesiæque fundamentum aliud quàm regale sacerdotium intelligimus? Quid verò per baculum pastoralem, per quem sustentatur pastor & ouis errans ad ouile reducitur, lupusq; rapax repellitur, nisi sacrum imperium designatur? Per baculum siquidem pastor Apostolicus sustentatur, dum Romanorum imperator iura Romanæ ecclesiæ vt aduocatus tuetur & defendit, & fidem catholicam quam Romana ecclesia firmiter tenet, Germanorum magnanimitas imperialiter conseruandam esse demandat. Per baculum ouis errans ad ouile reducitur & Maternus resuscitatur, dũ quicunq; schismatici vel hæretica labe infecti à Romanæ ecclesiæ obœdientia deuiantes de apostolico mandato per Imperatorem materiali gladio ad fidei vnitatem reuocantur. Per baculum insuper lupus rapax repellitur, dum Sarraceni & Christiani nominis inimici, Romani imperatoris potentia comprimuntur, &

tur, & ab area fidei cohercentur. Hunc itaque baculum beatus Petrus Romanus episcopus per Eucherium & Valerium transmisit in Germaniã, dum Romanus pontifex in persona magnifici Karoli Romanum imperium de Græcis transtulit in Germanos. Manifestum itaque est, non solùm humana dispositione factum, verùm etiam diuina præordinatione præsignatum esse, quòd Romanum imperium in fine seculorum transferri deberet in Germanos. Vnde non solùm Imperialem sed & diuinam maiestatem videntur offendere, qui iura & terras Imperij sibi vsurpare &, quantum in eis est, sacrum Imperium opprimere conantur. Quod si in cæteris nationibus reprehensibile est, multo quidem detestabilius Germanis principibus id esse videtur, quos ad Imperij gubernaculum præ cunctis gentibus vniuersorum dominus elegit.

De Germanicæ nobilitatis excellentia, & antiquissima eius origine.

CAPVT XV.

DIgnissimè autem Germani ad Imperialis regiminis culmen à Domino sunt electi, quos & antiqua nobilitas & animorum magnanimitas, integraque in sanctam orthodoxam fidem sinceritas apud priora sæcula commendatos fecit. Nam & si eorum originariam nobilitatem repetamus, ex alto Troianorum sanguine processerunt. Post famosum siquidem illud decennale Græcorum bellum, quo in Orientalium regionũ plaga altum euersum est Ilium, totoq; regno Troiano igne ferroq; vastato, ante natiuitatem Saluatoris nostri 1160, vel circiter, omnes principes & nobiles regni Troiani, qui miseram stragem euaserant, per mundum dispersi sunt: sub quo euentu alij Italiam sub Ænea inuaserunt, vt supra retulimus, alij verò bellatorum incliti sub Priamo iuniore magni Priami nepote in Germaniam

venientes Rheni littoribus insederunt, vbi habitatoribus terræ illius expulsis de terminis suis versus Orientem illos retrocedere coëgerunt. Tunc etiam illi munitiones & castra instituentes vrbem, quam patrio nomine Troiam appellarunt, erexerũt: fluuiumq; ibi defluentem Xantum vocitarunt: quæ posteà ab infidelibus destructa, ac rursum per fideles restaurata Xantis vsque in hodiernũ vocatur. Coniuges autem ex mulieribus Teutonicis, eò quòd corpulentæ & fortes essent, ad prolem propagandam acceperunt, filiosque & filias generantes Teutonicum idioma didicerunt. Sed & cum Treuerensis ciuitatis populo pacem firmantes amicitiam statuerunt, ibiq; postmodum longo tempore sedem habuerunt. Quæ quidem vrbs totius Europæ antiquissima, octauo anno Abrahæ, à Trebeta filia Nini regis Assyriorum fundata perhibetur. Exercitus autem Æneæ, qui in Italia apud Latinos resederat, istos populos, exercitum videlicet Priami qui & Galliam & Teutonicam occupauerat, lingua Latina Germanos, eò quòd de eodem germine processissent, appellauit. Tandem verò cum Germani multiplicarentur, miserunt partem exercitus ad Thuringiam vltra Rhenum, instituentes multo pòst tempore reges habuerunt Æneadas. Et propter hanc causam tota Teutonia tanquam à digniori Germania est vocata. Postremò cum regnum Romanorum adeò dilatatum foret, vt ferè totus ei subderetur mundus, Germanique Romano rebellarent imperio: venit Iulius Cæsar cum ingenti apparatu & exercitu Romanorum, & Germaniam totamque Galliam sibi subijciens. Ibi quamplurima castra & vrbes ædificans omnem Treuerensem, Coloniensem ac Moguntinã prouinciam Romanis habitatoribus occupauit, antiquam germanitatem inter Romanos & inter illos populos renouando. Legitur autem in Chronica Francorum, quòd tempore Valentiniani imperatoris, qui regnare cœperat à natiuitate Domini 367. anno, magnus exercitus nobilium Troiano sanguine procreatorum Marcomete, Sunnone & Genebando ducibus à Sicambria regione Thraciæ, & à Mœotidis paludibus quæ sunt à

tergo

tergo Pontici maris, egressi venerunt per Vngariam, & circa ripas Rheni fluminis in confinio Germaniæ & Alamaniæ consederunt. Quos cum multis postmodum prælijs Valentinianus attentasset, eò quòd tributa solita præstare nollent, nec vincere posset; Francos eos, id est, feroces appellauit. Attica enim siue Græca lingua Francus idem est quod ferox. Porrò defuncto Sunnone Franci Pharamundum ipsius filiũ instar aliarum gentium regem sibi creauerunt, qui primus Rex Francorum dictus est, à quo & alij Reges & principes & Galliæ & Germaniæ processerunt. Tandem virtus Francorũ adeò creuit, vt Romanos qui eo tempore in Gallia per suos præsides & magistratus vsq; ad Ligerim, cũ Germania imperauerunt, bello aggressi captis vrbibus totam Galliam cum Germania vsq; ad Pyreneos montes sibi subiugarẽt, & se coniunctim & diuisim per omnes Galliæ & Germaniæ fines dispersserunt: & hi qui Teutonibus sunt coniuncti, Franci sunt nominati in primitiuo; sed Galli qui Francis sunt copulati, Francigenæ vsq; in hodiernũ, tanquam deriuatiuũ à primitiuo descendens, sunt appellati. Vnde patet, Francorũ & Germanorum gentem originaliter vnam gentem fuisse & esse: licet idiomate & moribus & vestiũ cultu nunc discrepare videantur. Constat itaq; omnes Germanos & Teutonicos principes & nobiles ab antiqua Troianorum & Romanorum prosapia ortu primitiuo descendisse. Quapropter dicit in decretis gl. 34. dist. c. 1. quòd Teutonici sunt verum germen, id est, veri nobiles: licet D. Andr. in c. venerabilẽ, de elect. dicat Germanos dici à gigno, & propter generatiuam fecunditatem: est enim (vt inquit) patria diues virium*, multum generatiua & prolis amplificatiua. Nec assentio Isidoro Etymol. 9. qui Germanos ideò sic dictos affirmat, *eò quòd immania habeant corpora, immanesq́, sint nationes, sæuissimis durata frigoribus, qui mores ex ipso cæli rigore traxerunt, feroces animi & semper indomiti, raptu venatuq́, viuentes.* Quamuis enim Isidorianæ descriptionis proprietas multis hodiè (quod dolenter refero) conueniat: abest tamen longè ab honestiorum Germanorũ animis. Horum autem in laudem Valerius lib. 2.

* *Virorum.*

Tit. de institut. antiq. sic dicit; *Alacris & fortis Cimbrorum*, id est Teutonum *philosophia, qui in acie gaudio exultant, lætiq; in bello pereunt, tanquam gloriosè & feliciter vita excessuri: lamentantur autem morbo & lecto decũbentes, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Quibus etiam amisso duce viuere videtur illicitum: quorum prudentia* (inquit) *laudanda est, quòd & patriæ incolumitatem fortiter tuentur, & fidem amicitiæ constantissimè colunt.* Non solùm autem apud veteres historiarum scribas virorum Teutoniæ, sed & mulierum clara laus habetur. Vt enim Valerius & Eutropius, & ipse deniq; antiquarum literarum præcipuum ornamentum, Hieronymus in epist. ad Eugeniam de bello scribens Cimbrico dicit; *gens Teutonum, quæ Romanum quondam Imperium extinguere conspirauerat, ex vltimis Oceanis atq; Germanis exercitibus tulit triumphũ.* Tandem verò cum plana Italiæ peruasissent, Caius Marius consul, in quem inniti omnis Reipublicæ spes Romanorum ea tempestate videbatur, obuiùs missus est illis: quibus apud aquas Sextias superatis, partim mulieres eorum constantiore animo, quasi vicissent, non virorum secutæ sunt fugam: sed plaustris in modũ castrorum dispositis, ipsæ desuper pugnantes diu obstitêre Romanis: sed acie facta aduenientibus Marianis militibus senserunt quòd in vacuũ conatus suos disponerent. Vnde petierunt à Mario, vt si inuiolata castitate eis seruiendum esset, Romanis virginibus Vestalibus iungerentur. Erat enim illis infixum animo, si viros, si patriam, si substantias omnes pugna perdidissent, vna saltem qua possent via, libertatem & pudicitiam suam seruare. Sed cum petita non impetrassent, paruulis suis ad saxa collisis, vt illos turpi seruituti subtraherent, nocte eadem intra vallum à se confectum, ne in dedecus suæ castitatis ad victorum ludibriũ traherentur, laqueo se suffocarunt, manéq; mortuæ sunt repertæ mutuis amplexibus se tenentes, anno ab vrbe condita 646: quas vtiq; Teutonum coniuges Bocatius Florentinus in libello, quem de præclaris edidit mulieribus, ob ingens animi opus inter illustres feminas numerauit. Ad propositum autem redeam. Sub Octauiano Augusto, cum per Drusum

primò

primò & posteà per Tiberium priuignos suos debellaret Germaniam, qui & ciuitatem Augustensem Rhætiæ & Moguntiam (vt Suetonius refert) fundasse seu restaurasse dicitur; multi nobiles Romani in Alemania permanserunt. Et per Karolum Magnum tempore translationis Imperij (vt supra dictum est) nec non postmodum per Fridericum primum, & Othonem primum, successis temporibus magna turba clarissimorum virorum à Roma in Germaniam deducta est: maximéque secum illos adduxerunt, qui & rebellionem & seditiones in Romano populo præ cæteris machinati sunt. Non mirum ergò, si Alemania fluctuet absque pace: in qua germen dissidij plantatum esse perhibetur. Porrò plurimi ex Romanis comitibus & baronibus titulos comitatuum & baroniarum suarum, etiam dum in Germaniam venissent, retinuerunt; quamuis ibidem non essent de aliquo comitatu vel baronia inuestiti: Multi verò nomina & agnomina à castris & possessionibus adquisitis sibi præscripserunt. Sic vetus asserit fama de generosis & illustribus Comitibus de Habspurg, de Oetingen, de Thierstein, de Zollern, & alijs quampluribus, qui aulæ Imperialis quondam comites fuisse dicuntur de comitatibus inuestiti: tamen in hodiernum diem & nobilissimi comites sunt & habentur: quorum nati natorum & qui nascentur ab illis, longo tempore vtinam eò perducent. Sic legimus illustres marchiones Badenses à Romanorum germine, & ab Italia venisse in Germaniam. Nam dum Fridericus primus imperator de domo ducum Sueuiæ exortus per Italiam de vrbe progrediens vnum ex filijs Marchionis Veronensis, de genere Vrsinorum vrbis Romæ *(Verona)* principum procreati, obsidem secum duxisset, quo magis sibi Italiæ terminos & vallem Tridentinam egresso per sui marchionatus munitiones liber pateret regressus: ex tunc eundem marchionis filium idem Imperator speciali prosequens fauore curiæ suæ Imperiali assistere voluit: cui posteà dominium & castrum Hochberg assignauit, & noua arma tribuit. Cum verò idem marchio successu temporis sine liberis esset defunctus,

ctus, nobiles terræ illius pro alio dicti defuncti nepote legatos ad Veronam miserunt, vt dominium Hochberg iure successionis ad ipsum deuolutum possideret. Qui veniens ac dominij illius possessionem nanciscens ibidem vitam finiuit : à quo & marchiones de Baden processerunt, & titulum marchionatus originaliter nō à dominio Badensi, quod ab antiquo Comitatus erat, sed & Verona & Romana vrbe contraxerunt. Vnde audiui quendam se legisse chirographum de dato à natiuitate Domini 1 2 0 8. cuius sigilli epigramma hæc verba fuerunt : *Iohannis Marchionis Veronensis.* Idem quoque de famosis baronibus de Roppelstein legitur, quòd tempore Conradi secundi imperatoris Sueuiæ ducis duo nobilissimi principes de Spoleto fratres Germani, per eundem Conradum, eò quòd sibi rebelles existerent, de Spoletano ducatu propulsi fuerunt: quos cum Imperator secum in Germaniam duxisset, vnus in Sueuia propè oppidum Rottvvyl castrum Virslingen (quod denominari sic voluit, eò quòd de genere esset Vrsinorum) fundauit : qui ab eodem castro titulum contrahens à Sueuorum gente primùm Dux de Virslingen, posteà de Schiltach verò nuncupatus fuit. Alter verò frater Alsatiam intrans propè Galliam baroniam de Roma à progenie in progenies baronem deinceps nominauit. Et quamuis titulos progenitorum abdicassent, paterna tamen arma fratres illi minimè variarunt. Transmigrarunt & ab inclyta Roma priori æuo sub diuersis principibus in Germanorū partes varia turma nobilium militarium : è quibus in nostra patria occurrunt plurimæ notissimæ familiæ, quas à Romanorum germine descendisse famauit antiquitas : è quorum numero sunt hæ præclaræ familiæ, de Andlo, de Hatstat, de Ratsamhusen, de Halvvil, de Blumeck, & aliæ quamplurimæ. Ex quibus multæ nobiles relicto paternæ genealogiæ titulo à castellis & villis sibi ea quæ vsq; in hæc tempora habent, cognomina præscripserūt. Est tamen creditum, quòd dum Romani dissensionibus varijs laborarent, & plerique à paternis sedibus inde transmigrare cogerentur, aliquos de Andlo principibus Romanis adhęrentes in Germaniam

Germaniam commeasse, retinuisseq; nomen suæ stirpis, quod ab Italia ferebant, illudque castello ab eis in Alsatia postmodum constructo indidisse: quod quidem castrum à sacro Romano Imperio iure vasallitio se hodie profitentur possidere in feudũ. Vbi in pede montis Andelatensis de anno Domini 887. sancta Richardis virgo & imperatrix, castissima cõiux Karoli tertij Augusti, accepto ab ipso repudio insigne & nobilissimum cœnobium sanctimonialium construxit: in quo se Dei consecrans seruitio serenissima imperatrix vitam ibidem feliciter egit, multisq; post mortem clarens miraculis in Sanctorum Catalogo meruit collocari. Alios verò de Andlo intra Italiam permanentes venisse Bononiam, vbi sedem constituerint, res non ambigua esse videtur. Vnde longo pòst sæculo quidam Pantaleon de Andlo ciuis Bononiensis electus fuit in senatorem Romanorum: sub quo & muri & mœnia vrbis Romæ magnam ruinam sustinuerunt: ob quam querelam facit contra eundem Pantaleonem gl. iuris canonici in c. fundamenta. De elect. lib. 6. Nam cum text. ibidem amarè deploret dispendia quæ peregrino regimine diuersisq; rectoribus felix illa ciuitas Romana quondam perpessa sit; Ioan. And. in gl. sua in hæc verba desuper scribens, *Hoc maximè factum fuit* (inquit) *tempore Pantaleonis de Andlo ciuis Bononiensis, qui ciuitatem Romanam multis ruinis deformauit.* hæc gl. Multi tamen alij nobiles ab Italia migrantes in Germaniæ prouincias dispersi sunt: quorum originem & obliuio tantorum temporum & vetustas longæua abstulit: nec facile foret breui stilo singulorum originem & historias perstringere primitiuas.

De Principibus ac proceribus, super quibus Romani Imperij fundatus est potentatus.

CAPVT XVI.

QVanquam Imperium Romanum olim fuerit potentissimũ, quia tamen & status & vires eius paulatim labefactari cœperunt, conueniebat post sui in Germanos translationem & in

successu temporis illud specialibus munire præsidijs, principibusq; firmare, quibus vt firmis columnis & basibus innixum aduersæ tempestatis procellis & turbinibus valentius resistere posset, & suæ potentiæ mucronem longè lateq; vibrare. Idcircò Imperium super gradibus nobilitatis atq; etiam comunitatibus opulentis prouida sagacitate fundatum est: quorum quemlibet gradum quatuor illustres familiæ determinare videntur. Quæ quidem familiæ vtpote cæteris in suo ordine præstantiores peculiariter Romano imperio incorporatæ, & oportuno tempore ad præsidium eius obligatiores promtioresq; esse debent. Sunt autem primò quatuor generosi principes inclytæ prosapiæ ab æuo longo productæ, & apud Augustos principalissimi, super quibus Romanum fundatur imperium. Primus princeps est Comes Palatinus Rheni de magno palatio Treuerensi: secundus est dux Brunsuuicensis in Saxonia: tertius dux Lotharingiæ in Gallia: quartus dux Sueuiæ, cuius domus penitus defecit: domus equidem potens & gloriosa nimis, sed incusanda Sueuorum nobilitas esse videtur, quòd viduato ducatui alium præficere principem neglexerunt. Sunt & quatuor marchiones præ cæteris marchionibus præcellentiores: primus marchio Morauiensis: secundus Misnensis: tertius Brandeburgensis: quartus Badensis. Quatuor deindè procedunt illustres comites prouinciales, qui vulgò Landgrauij appellantur: primus landgrauius Thuringiæ: secundus landgrauius Hassiæ: tertius landgrauius Alsatiæ, cuius domus defecit, & in episcopatum Argentinensis ecclesiæ iura Landgrauiatus translata sunt: quartus verò landgrauius Lichtenburgensis est. Quatuor etiam generosi Comites Castrenses in pagina fundationis sacri describuntur imperij, qui vulgò Burggrauij dicūtur: primus est Nurnbergensis burggrauius: secundus burggrauius Magdeburgensis, tertius Stromburgensis, quartus burggrauius de Rineck. Sunt etiam quatuor magnifici Comites sacri Imperij, maiores quidem in suo gradu, sed inter principes minores: primus est Cleuensis, qui hodie est sublimatus in ducem, secundus Schvvarzburgensis, tertius comes

mes

mes Ciliæ, cuius domus defuncta in prælustres Austriæ duces de anno Domini 1456. feudali iure deuoluta est; & quartus comes Sabaudiæ, qui in Constantiensi concilio à gloriosissimo imperatore Sigismundo ducali titulo est illustratus. Quatuor etiam nobilissimi barones prædictis connumerantur: primus de Limpurg, secundus baro de Douss dictus de Rar, tertius de VVesterburg, quartus baro de Aldevvald. Hos subsequuntur quatuor strenuissimi milites, cæteris ex ordine militari clariores, qui & proceres siue valuasores dicuntur: quorum primus est magnanimus miles de Andlo in Alsatia, de quo titulo proximo dictum est; secundus miles Strandeck, tertius de Meldingen, quartus de Frovvenberg in Bauaria. Sacrum imperium insuper fundatum dicitur super quatuor ciuitates insignes: quarum prima est ciuitas Augustensis Rhetiæ, secunda Maguntina, tertia vrbs Aquisgranensis, quarta est Lubecensis. Quatuor deindè villæ sunt magnificæ, quæ in fundamento Imperij annumerantur: prima est Babepergensis, secunda Schletstadensis, tertia Haganoensis, quarta Vlmensis. Et vt nullus gradus prætermissus videatur, accedunt præmissis quatuor famosi rustici, qui & in basibus Imperij destribuũtur: primus est rusticus Coloniensis, secundus Ratisbonensis, tertius verò rusticus Cõstantiensis, quartus autem Saltzburgensis diœcesium. Sunt & plures comites, barones & nobiles sacri Romani imperij perpetui & hereditarij officiales, qui in stirpes succedunt: quorum ministeria si scire volueris, Karoli quarti Romanorum imperatoris statuta per auream edita bullam perlegere licet. Quanquam autem memorati principes, comites, barones, nobilesque, præfati ad Imperij assistentiam potissimum sunt electi: omnis tamen Germanorum potentia totis viribus ad ipsius auxiliũ contendere debet, quos præ cunctis gentibus ad regnũ mundi Christi elegit vicarius, & ipsis solis regimen Romanæ Ecclesiæ committere voluit, vt ait textus in c. In die. De consecr. dist. 5. Vtinam ergo saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Saperent dico mysteriũ ensis quem deferunt, intelligerent sta-

tum in quo eos collocauit Dominus, vt iustitiam & pacem prouiderent quibus eget orbis Christianus. Confidenter siquidem loquor, si Germani principes Imperatori, tanquam aduocato Ecclesiæ, fideliter assisterent, prout temporibus antiquis consueuerunt, omnis profectò potestas contraria videretur parua. Tunc non solùm Græcia, sed Ægyptus & Chaldæa contremiscerent, ac vltimæ regiones Saracenorum trepidarent. Nam vt aues inter se volantes & cantantes ad aquilæ intuitum silent & fugiunt: sic omnes barbaræ nationes aliorum insignia vexillaque despiciunt, Romanorum verò ac Germanorum aquilas timent naturaliter & abhorrent. protendente nempe aquila Romanorum ab Europa alas suas, nec gryphones Asiæ atque Africæ satis tutæ erunt.



PETRI

PETRI DE ANDLO LIBER SECVNDVS.

De Septem Principum Electorum institutione.

CAPVT I.

ETSI VTILIVS LABOREM MEVM consumere, & tempus fertiliori impendere studio potuissem: adeò me tamen & zelus impellit Imperij, & præfulgidum Germanicæ nobilitatis decus inuitat, vt neque calamo parcere, neque iucundissimo absistere studio, quod inchoaui, valeam. Et quidem superiori libro sacri progressum Imperij, illiusq; varium per tempora exarauimus statum. Deinceps ad ea, quæ inuictissimi rectoris Imperij personam & statum concernere videntur, laborem stylumque vertamus. Translato Romano imperio in persona magnifici Karoli, per successionem tolerantibus Germanis principibus per annos centum & vltra vsque ad septimam generationem permansit. Defecit autem & genus & imperium in persona Ludouici quarti Arnulphi filij, de anno Domini 913. Is enim (vt in Francorũ chronographia legitur) sine filijs obijt, relinquens duas filias, videlicet Placidam & Mathildin: quarum primogenitam, scilicet Placidam dedit vxorem Conrado comiti Alemaniæ principi, qui post eum imperauit: alterã verò Henrico duci Saxonum desponsauit, & ex ea genuit Othonem primum, posteà Imperatorem magnum. Legitur autem in gestis Aquitaniæ quòd ex eo progenies & posteritas Karoli magni fuit reprobata, quòd Dei gratiam abijciens Ecclesiarũ & religionis

cultum, quem ex paterna & auita successione susceperat, neglexit, deuastatrixq; potius ecclesiarum quàm creatrix fuit. Mortuo itaque Ludouico quarto, vltimo ex stirpe Karoli, Romanorum Franciæ & Germaniæ rege post eum regnum Franciæ inuasit quidam Hugo dictus Capet comes Parisiensis, in cuius genealogia regnum Franciæ posteà gubernandũ permansit. Porrò Conradus gener Ludouici, qui primogenitam eius vxorem habuit, defuncto socero Romanũ imperium cum Germaniæ regno, quod ad Imperiũ deuolutum erat, de Alemaniæ principum consensu obtinuit: & sic deinceps Alemania à regum Francorum dominio separata fuit; & dictus Hugo Francorum rex suaq; posteritas de facto potius quàm de iure Romanorum regem in superiorem recognoscere recusauit: cum tamen regnum Franciæ per obitum Ludouici ipso iure etiam ad Romanum imperium fuisset deuolutum. Verùm Conrado sine liberis defuncto Henricus præfatus Saxoniæ dux Romanorum adeptus est regnum, qui quàm magnificè & imperiosè Francorum regibus & Lombardis super Romano imperio silentium perpetuum imposuit. Qualiter ipse terram illam, quæ inter Mosam & Rhenum est, Lotharingiam appellauerit, atq; terram eandem cum tota Almania sublimauerit, quod multis codicibus illud expressum reperitur, hîc insistere superuacuum esse arbitratus sum. Sepultus autem est in Quedlnburg Halberstadiensis diœcesis, vt ipse monasterium insigne & castrum fundauit: & prædicatur in vita & morte sanctus fuisse. Reliquit autem heredem Imperii Othonem primum. Hic primus post Francorum reges creatus est Imperator. Conradus enim & genitor suus Henricus, quamuis essent reges Romanorum, imperiali tamen benedictione caruerunt. Nam cum vexaretur Ecclesia Romana à Berengario tyranno Italiæ, anno à natiuitate Christi 935. aduocatus est in Ecclesiæ subsidium Otho primus dux Saxonum, princeps magnæ potentiæ, religiosus & fide Catholicus, qui super vniuersam dominabatur Almaniam, vt habetur in decretis LXIII. d. in Synodo: qui magnum Teutonicorum pa-

raus

rans exercitum Italiam ingressus est, commissoque bello cum dicto Berengario ipsum cum suo exercitu deuictum occidit: dein Romam pergens à Leone octauo in Imperatorem coronatus est: qui & Imperium tenuit vsq; in tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otho. Verùm Othone tertio mortuo sine filijs, Gregorius quintus natione Teutonus de parentela Othonis in summum pontificem assumitur. Eius pontificis tempore regis Romanorum septem electores instituuntur, scilicet septem principes Alemaniæ. Quòd enim prædicti tres Othones successiuè quasi hereditario iure obtinuerunt imperium, fuit pro bono statu ecclesiæ Dei & populi Christiani prouidè ac vtiliter ordinatum, vt tantę potestatis fastigium, quod non debetur sanguini sed virtuti, non per viam successionis sed electionis procederet, vt dignissimus habeatur ad dignitatem Imperij gubernandam. Factum est autem decretum huiusmodi post Christi natiuitatem anno 1004. Et sunt quatuor laici, & tres clerici: primus est rex Bohemiæ, olim dux, Imperatoris pincerna: secundus comes Palatinus: tertius dux Saxoniæ, portitor ensis: quartus marchio Brandeburgensis, marescallus: ex clericis primus est archiepiscopus Moguntinus, cancellarius Germaniæ: secundus archiepiscopus Coloniensis, cancellarius Italiæ: tertius archiepiscopus Treuerensis, cancellarius Galliæ. Hi namque septem principes electores, velut septem candelabra lucentia in vnitate septiformis spiritus, sacrum debent illuminare imperium. Et de his septem electoribus mentionem facit gl. in c. ad Apostolicæ. De re iudic. lib. 6. & sustinent vicem olim Romani senatus, ad quem Imperatorem eligere spectauit: licet quandoque per exercitum militum, vt Vespasianus in Palæstina, aliquando autem per impressionem & in seditione militari, vt Phocas in Oriente contra Mauricium, quis ad Cæsaream assumeretur maiestatem, tàm in veteri Roma, quàm apud Argiuos in Constantinopolitana ciuitate. Imperium namque & quodlibet regnum ab olim non ex successione, sed electione delatum fuit, vt not. 8. q. 1. c. Moises.

Sed

Sed hodie regna ex consuetudine deferuntur ex successione, vt legitur & notatur in c. licet. dist. 6. Quid autem si desinat successio in domo regali, vide quod not. Panorm. in c. licet. De foro compet.

De Romanorum Regis electione.

CAPVT II.

Defuncto serenissimo Augusto, sacroq; imperio rectore vacante, Maguntinus archipræsul illustris collegij principum electorum cæteros coëlectores suos pro electione futuri regis Romanorum in Imperatorem postmodū fauente domino promouendi, literis suis patentibus euocare consueuit ad oppidum Franckfordense Maguntinæ diœcesis, quondam à veris Francis & Troianis fundatum. Postquam autem prædicti electores ciuitatem Franckfordensem ingressi fuerint, statim sequentis diei diluculo in ecclesia sancti Bartholomæi ibidem in omni ipsorum præsentia missam de Sancto Spiritu faciunt solemniter decantari. Peracta quoq; missa huiusmodi omnes ecclesiastici electores coram euangelio beati Iohannis euangelistæ, In principio erat verbum, quod illic ante eos poni debet, manus suas pectori cum reuerentia supponunt. Sęculares verò principes electores dictum euangelium manibus corporaliter tangunt: qui omnes cum omni sua familia inermes ibidē assistere debent. Et tunc archiepiscopus Moguntinus dat eis formam iuramenti, quod vulgariter præstant in hunc modum: *Ego Theodericus episcopus Moguntinus, sacri Imperij per Germaniam archicancellarius, & princeps elector, iuro ad hæc sancta Dei euangelia hic præsentialiter coràm me posita, quod ego per fidem, qua Deo & sacro imperio sum adstrictus, secundum omnem discretionem & intellectum meum cum Dei adiutorio volo eligere temporale caput populo Christiano, regem Romanorum in Cæsarē promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio & sensus dirigunt me: & vocem meam dabo absq; omni pacto, stipendio, precio,*

vel

vel promisso, quocunq; modo talia appellari possunt. Sic me Deus adiuuet, & omnes sancti. Pręstito itaque per omnes electores huiusmodi iuramento ad electionem procedunt, nec de dicta ciuitate Franckfordensi separari debent, donec maior pars ipsorum temporale caput elegerit populo Christiano. Quod si infra 30. dies facere distulerint, illis transactis à modo panem manducare & aquam bibere debebunt, quousq; caput fidelium electum fuerit, vt præfertur. Archiepiscopus autem Moguntinus vota singulorum inquirere & scrutari habet, hoc ordine: primò quidem à Treuerensi, cui competit ex dignitate Romanorum regi primùm diadema regni imponere: secundò à Coloniensi: tertiò à rege Bohemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis fastigio primatū obtinet: quartò à Comite Palatino Rheni: quintò à duce Saxoniæ: & sextò à marchione Brandeburgensi. Quo facto dicti principes ipsum Moguntinum vice versa requirunt, & votum scrutantur ab eo: vt hæc omnia in Karoli quarti constitutionibus per auream bullam declaratis latius contineri dinoscuntur. De consuetudine tamen rex Bohemiæ ad electionem non vocatur, nisi cum vota aliorum sunt æqualia numero: & sic hodie practicatur. Quod verum est, dummodo persistat in vnione sanctæ matris Ecclesiæ: alioquin si duo electi paria vota haberent, ad Papā recurrendū esset, qui vnum ex illis, quem vellet, eligere posset, vt dicit gl. in c. apostolicæ. de iudit. lib. 6. quod illud ius non habuit rex Bohemiæ ab antiquo. Sanè postquam pars eorum maior aliquem elegerit, talis electio perindè habetur & reputari debebit, ac si foret ab eis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata: nec requiritur omnium consensus, nec duæ partes eorum, sicut in electione Papæ; sed sufficit maior pars, vt in alijs electionibus, per c. licet. De re iudic. vt formaliter dicit Abb. in c. venerabilem. & Ant. de Butr. eod. Et vbi in aliquem maior pars Electorum non consenserit, possunt ante admonitionem electores variare, & accedere ad nominationem alterius: sicut obseruatur in electione Papæ, vt not. in d. c. licet per Bald. Abb. & Ioan. Andr.

Electio etiam vnius electorum valet, quia possunt eligere vnum ex seipsis, per L. plane. & ibi Bald. ff. quod cuiusc. vniuers. nom. quem seq. Ioan de Anan. in c. fin. col. 2. de sortileg. Peracta autem huiusmodi electione, is qui in regem Romanorum fuit electus, mox vt iura sacri Imperij administrare inceperit, vniuersis principibus electoribus ecclesiasticis & sæcularibus, qui velut artus & membra Imperij esse dinoscuntur, omnia ipsorum priuilegia, iura, libertates, & consuetudines antiquas, & quæcunque ipsi ab Imperio vsque in diem electionis obtinuerunt, confirmare & approbare tenetur, & ea omnia innouare, postquam fuerit imperialibus infulis coronatus. Deinde in Romanorum regem electus solemnes nuncios cum decreto electionis ad summum Pontificem destinare tenetur habentes speciale mandatum, pro electo deuotionem ipsius & reuerentiam filialem, quam erga Romanam gerit ecclesiam, coràm Papa exponendi, nec non petendi & impetrandi fauorem & gratiam consuetam: offerendique ipsi summo Pontifici & præstandi pro electo in ipsius animam debitæ fidelitatis & cuiuslibet alterius iuramentum: ac petendi per papales manus sibi impendi vnctionem, consecrationem, & Romani imperij diadema. Ex tunc Papa præsentato sibi decreto electionis, electionem huiusmodi examinat, & personam electi ac eius merita perquirit; vt de fide, probitate, ac alijs quæ in persona Imperatoris sunt meritò inquirenda, vt 78. Distinct. c. quid est. Qua canonica reperta, & persona idonea reputata Papa ipsum nominat, denunciat, & declarat regem Romanorum, sufficientemque & habilem declarat ad suscipiendum Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernit vnctionem, consecrationem, imperijque Romani coronam sibi per ipsius manus debere concedi, prout hæc habētur in c. venerabilem. De elect. & in clem. 1. De iureiur. Subsequenter verò Papa à præfatis nuncijs, sufficiens ad hoc mandatum habentibus secundum formam in Decretis, quæ incipit, Tibi domino, comprehensam fidelitatis recipit iuramentum, sub hac forma: *Tibi domino Papa Pio ve*

N. rex

N. rex Fridericus promittit & iurare facit prout nos eius nuncij in animam iuramus ipsius, per patrem & filium & spiritum sanctum, & per hoc lignum viuifica crucis, & per has relliquias sanctorum; quod si permittente Domino Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam & te rectorem ipsius exaltabit secundum posse suum; & nunquam vitam, aut membra, neque ipsum honorem quem habes, sua voluntate & suo consensu aut sua exhortatione perdes, & in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, quæ ad te pertinent aut ad Romanos sine tuo consilio. Et quantum de terra S. Petri ad ipsum peruenerit, tibi reddet. Cuicunque regnum Italicum commiserit, iurare faciet illum, vt adiutor tuus sit ad defendendam terram S. Petri secundum posse suum. Huiusmodi autem iuramentum primus præstitit Otho tertius papæ Iohanni, vt habetur in c. à Domino. 63. distinct. Alia prætereà iuramenta præstare habet in Imperatorem promouendus, de quibus in processu videbitur. Postquam verò electus pronuntiatus est in regem Romanorum in imperatorem postmodum promouendum, ad coronam regni à Coloniensi archiepiscopo suscipiendam ad oppidum Aquisgranense Leodiensis diœceseos, quamprimum poterit, properabit; prout hæc pertractat rabi iuristarum Iohan. Andr. in addit. Specul. in tit. de rescript. §. fin. vers. Item quod imperator. Sed prius quàm hunc passum attingam, nonnullas quæstiones Doctorum præmittere libet.

An electores Imperij principem non Germanum eligere in Cæsarem possint.

CAPVT III.

QVæritur ergo primò & apud iurisperitos in dubium vertitur, vtrum electores Imperij aliquem principem non Ger-

manum eligere valeant in Cæsarem. Quidam tenentes partem affirmatiuam quæstionis dicunt, nullo iure probari, quòd ex sola natione Germanorum debeat eligi imperator. Et ad text. in c. venerabilem. de electiõ. qui profitetur, ecclesiam Romanam imperium à Græcis transtulisse in Germanos, & ad similes respondent, quòd imperium fuit translatum in eos actiuè, quia fuit data principibus Alemaniæ potestas eligendi imperatorem. Vnde non prohibentur, quin ipsi eligere possint de alia natione principem: licet ab olim extra Germanicam nationem non fuit electus aliquis in Cæsarem. Et hanc opinionem sensit in d. c. venerabilem, magnæ auctoritatis doctor D. Cardinal. Florent. Quæ opinio firmari potest ratione. Nam electores, quibus dispositio imperij Christiani commissa est, non solùm ad bonum Germanicæ nationis, sed ad totam rempublicam Christianam considerationem & respectum in electione habere debent. Sed posset aliquis esse princeps, extra Germanorum nationem, tantis meritis virtutibusque refulgens, vt præferendus foret principibus Germanis. Ergo videtur quòd hunc eligere possent. Prætereà isti principes electores successerunt in locum Senatus populique Romani. Sed licet Romani quondam orbis imperium tenerent, nonnunquam tamen viros fide & probitate præditos extra nationem Italicam ad apicem Imperij assumebant, vt de Traiano, qui de Hispania, & Diocletiano qui Dalmatia ab oppido Dioclea oriundus fuit, historijs traditum est. Sic & Valentinianus, dum apud Argolicos imperium esset, à Græcis imperator creatus est, licet ipse non Græcus sed Pannonius de ciuitate Cybala natus esset. Sed in contrariam sententiam est vir excellentissimæ doctrinæ D. Panormitan. qui dicit priorem opinionem confundi per text. præall. c. venerabilem. in eo quod dicit, quòd Imperium fuit translatum in Karolum, passiuè & non actiuè, quòd fuit ipse assumptus in imperatorem, non autem fuit sibi potestas data eligendi imperatorem: ergo etiam passiuè fuit Imperium translatum in Germanos, quam considerationem dicit notandam. Prætereà si expositio prioris opinionis stare deberet,

beret.

beret, non fuisset à Græcis translatũ Imperium, cum secundũ D. Cardinalem posset Græcus hodiè per Electores in Cæsaré promoueri. Porrò non est indecens, vt de certa gente seu genere debeat eligi præsidens. Nam hoc videmus quandoque seruari in ecclesiasticis dignitatibus, tàm priuilegijs quàm consuetudine longæuè introducta, vt probatur consue. dilectus. De verb. signif. abbate. Papa autem hoc potuit facere ex maxima & vrgentissima causa tunc occurrente: cum idem sit Dei consistorium & Papæ, & plenitudo diuinæ potestatis in Dei vicarium in terris transfusa sit. De officior. Romana, lib. 6. & not. Innoc. in c. quanto. de iureiur. & præcipuè dicta sunt vera tenendo communem opinionem Canonistarum, quòd Romanũ Imperium dependeat immediatè à Papa, iuxt ea quæ not. in c. nouit. De iudic. & infra suo loco patebit. Voluit ergo Papa & actiuè & passiuè Imperium Romanũ transferre in inclytam nationem Germanorum: quæ opinio non solùm vera, sed etiam pro conseruatione Imperij maximè necessaria esse videtur. Quæritur secundò, nunquid Electoribus Imperij competat eligendi potestas vt singulis, vel vt collegio. Hostiens. tenuit quod hæc potestas competat eis vt singulis; sicut & patronis ius patronatus videtur omnibus & singulis cõpetere; ita quod simul ad actũ presentationis eos cõuenire non sit necesse, quod an verũ sit not. in c. 3. De iure patron. ergo idẽ videtur in principibus electoribus dicendum. Sed multi tenuerunt contrariũ, quos sequi videtur Ioh. Andr. in addit. Specul. in Tit. de rescript. princ. §. vlt. vers. penult. Et ista contraria opinio etiã plus placere videtur Panormitano. Nam cum Electores huiusmodi in locum successerint populi Romani, qui vt vniuersitas elegit sibi Imperatorem, debent isti censeri eodem iure, cum surrogatũ sapiat naturam eius cui surrogatur. Prætereà debent omnes simul cõuocari & simul actũ expedire. Ideo dicit notabiliter text. in præall. c. venerabilẽ, Quòd plus obest electioni cõtemtus vnius principis non vocati, quàm contradictio multorũ. Nam contradictio minoris partis principum electorum non impedit electionem partis maioris:

sed contemtus vnius principis non vocati potest facere totam electionem retractari. De elect. c. quod sicut. & c. bonæ. Omnia enim hæc sunt signa collegii. In spectantibus enim ad singulos potest quilibet per se præstare consensum, vt L. per fundum. ff. de seruit. rustic. præd. Sed in hoc actu electionis necesse est eos simul conuenire, vt in constitutione Karolina declaratur, & supra tetigi. Concluditur ergo ad ipsos principes ius eligendi, vt collegium, & non vt ad singulos spectare debere.

An per negligentiam principum electorum Regem Romanorum eligere cessantium, potestas prouisionis deuoluatur ad Papam.

CAPVT IIII.

QVæstionem alteram prioribus subnectendam visum est: an videlicet electoribus Imperij Imperatorem eligere negligentibus, potestas prouisionis ad summũ Pontificem deuoluatur ipso iure? Dd. dicunt, quod ex quo electoribus huiusmodi terminus à iure communi præfixus est, primò principes per Papam moneri debent, vt intra certum terminum ad electionem procedant: quod si non fecerint, tunc demum potestas deuoluatur ad Papam, & non ante. De quo est optima gl. in c. ad apostolicæ. De re iudic. lib. 6. & facit c. venerabilem, sæpe alleg. Vnde si electores intra terminum præfixum velint eligere, nec tamen possint, nihilominus tamen post admonitionem & expectationem potestas prouisionis deuoluitur ad Papam: nec sedes Apostolica defensore careat sine culpa. Imperator enim est defensor & aduocatus Ecclesiæ, & tenetur eam pro posse defendere & exaltare, vt Clem. ne Romani. De iureiur. & 63. Dist. tibi Domine. & c. ego Ludouicus. & idem in alijs principibus, de quo vide text. 33. q. 6. c. principes. & c. regum. Si præterea omnes electores scienter indignum eligerent, potestas eligendi deuoluitur

uitur ad Papam ipso iure, secund. omnes Dd. Quia ex quo potestatem eligendi habuerunt à Papa, debet redire illa potestas ad Papam, si ea abutuntur. arg. c. gratum. De elect. Est tamen verum quòd Papa non potest sine causa priuare electores Imperij potestate eligendi, vel eorum potestatem aliquatenus impedire: quòd Papa in temporalibus nō debet se sine maxima causa intromittere. vt in c. causam. Qui fil. sint legit. & quod not. gl. in c. ad apostolicæ. sup. alleg. Nam priuilegium semel concessum de sui natura perpetuum, non debet reuocari, vt not. Innoc. de iudic. nouit.

An electus in Romanorum Regem, ante papalem approbationem & coronationem iura Imperij possit administrare.

CAPVT V.

VIsum est de sacratissimi rectoris Imperij electione. Nunc quæstio altera quæ apud scholasticos moueri solet, dispicienda esse videtur: Vtrum ad apicem imperij electus ante papalem approbationem & coronationem iura Imperij administrare possit? Olim inter literarum doctissimos variæ in hac re opiniones fuêre, & quòd sola electio non sufficeret ad administrationē, aliqui multis nitebantur viribus & rationibus astruere, ex quibus pluribus pauca perstringamus. Nam per electionem electus consequitur ius verè & potestatem administrandi in actu, vt dicit gl. singularis 63. Dist. c. 5. & not. in c. transmissam. De elect. & fac. c. auaritiæ. eod. tit. lib. 6. Præterea nihil operatur antequàm sit. L. vlt. D. de collat. bonor. Sed Imperator in coronatione dicitur oriri, & sic incipere esse. L. omnes. D. de fer. ibi; vel ortus imperij protulerunt, vbi gl. id est coronatio. Dicebant etiam illud persuaderi posse ex antiqua constitutione regum veteris testamenti, qui per viam electionis ad regimen Israëlitici populi fuerunt assumti; quorū gesta sunt nobis in actionibus

onibus ſpeculum, tanquam ab infallibili Dei prouidentia præordinata, vt ait Apoſtolus 1. Corinth. c. 10. Omnia illa in figura contingebant, ſcripta autem ſunt propter nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Saul autem primus rex Iſraël etſi ex mandato domini fuiſſet per Samuelem prophetam electus, ante inunctionem tamen & ſolennitates quas regalis expoſcebat dignitas, non adminiſtrauit Iſraëliticum regnum, vt legitur 1. Reg. 9. Hoc idem de Dauid regum Iſraël inuictiſſimo patet, qui poſt diuinam etiam electionem longo tempore adminiſtrationem non habuit. Et cum ſit eadem ratio in Imperatore & regibus Iſraëliticis, eadem etiam iuris diſpoſitio inter illos eſſe debere videtur. arg. c. tranſlato. De conſtit. Sed contrarium tenet gl. in clem. Romani. De iureiur. quæ opinio recepta eſt ex conſuetudine, vt electus in regem Romanorum ex ſola electione adquirat poteſtatem adminiſtrationis. Ex quo patet, quòd rex Romanorum, qui nondum eſt Imperator vel coronatus, priuilegia dare poſſit. de quo fac. not. in Specul. de reſcript. princ. §. fin. verſ. neq; quod eſt obtentum. Hocq; diſputauit & tenuit inſignis legum Doctor Iacobus de Arena, cuius quæſtionem ad literam poſuit Cyn. in L. bene à Zenone. C. de quadr. præſcript. Innoc. in c. venerabilem dicit, Quod ſi Imperator non poſſit recipere coronam in loco debito, nihilominus auctoritatem adminiſtrandi à Colonienſi epiſcopo, ad quem ſpectat, conſequitur: vel ex ipſa electione habet illam: ſecundum eum refert Hoſtienſ. de verb. ſignif. c. ſuper quibuſdam, Quod vidit in Alemania per principes iudicari & teneri, quòd rex Romanorum poſt electionem concordem habeat omnem poteſtatem quàm Imperator, & quod vnctio nihil addit. Et fac. quod not. Ioh. Andr. in d. Clem. ne Romani; ſe vidiſſe formas quarundam literarum, quæ de regiſtro Innocentij tertij dicuntur extractæ, quæ emanarunt in negocio diſcordis electionis, de qua loquitur præfata decret. venerabilem; quarum altera dirigebatur archiepiſcopis, prælatis & principibus Alemanniæ & Slauoniæ, altera ſpecialiter Moguntino, inter alia referentes, quod incon-

cuſſa

cussa consuetudo Imperij & rationi consona & iure subnixa per patientiam sedis Apostolicæ tolerata, & per tolerantiã approbata habet, Quòd duobus in discordia electis vterq; iura Imperij administrat, vt rex, & omnem Imperij iurisdictionem exercet. Quod declarat ibi Papa locum habere, donec per Papam alterius electio fuerit approbata vel reprobata: & validitas gestorum ex futuro dependet euentu, de quo in l. iure nostro. §. fin. D. de testam. & c. nihil. De elect. Est tamen receptum, quod electus & approbatus ad regimen Romani Imperij non dicitur Imperator sed Rex: neq; ante coronationem vtitur bulla, sed tantum sigillo: quemadmodum Papa aliter vtitur bulla ante coronationem quàm pòst, vt not. gl. pen. in clem. ne Romani. in fine.

De Romanorum regis vnctione, & triplici eiusdem coronatione.

CAPVT VI.

POstquam in Regem electus augustalem adeptus est principatum, papalique fuit approbatione stabilitus in regnum; ad imperialia iura suscipienda, hoc est, ad vnctionem & coronationem animum conuertere debet. Sumpsit autem exordium hæc inunctio regum ex veteri testamento, vbi non solùm vngebatur sacerdos, sed etiam rex atque propheta, sicut in hoc regum dominus præcepit Eliæ: *Vade & reuertere in domum tuam per desertum in Damascum, cumq; perueneris illuc, vnges Azabel in regem super Syriam*, & Iehu *filium Nansi vnges regem super Israël, Elizeum autem filium Zaphat, qui est de Abel, vnges prophetam pro te.* Et Samuel cum ex præcepto domini constituisset Saul in regem super Israël, tulit cornu olei, effundensq; super caput eius dixit: *Vnxit te Deus super hereditatem suam in principem, & tu liberabis populum eius de manu inimicorum illius.* 1. Reg. cap. 10. Quondam verò princeps in capite vngebatur, vt pontifex: nunc autẽ principis vnctio à capite ad brachium est translata, vt legitur in c. v-

M

nico. De sacram. vnct. In brachio enim siue in humero vel in armo principatus congruè designatur, iuxta quod legitur in Isaia: factus est principatus super humerum eius. ad quod planè significandum Samuel fecit poni armũ ante Saul, cui dederat locũ in capite ante eos qui fuerant inuitati. Reffert autẽ inter Pontificis & Principis vnctionem, quòd caput Pontificis chrismate consecratur, brachium autem principis oleo delinitur: vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem pontificis & principis potestatem. Porrò bis Romanus princeps inungitur, primò quidem Aquisgrani à Coloniensi archiepiscopo in regem, & deindè Romæ in basilica S. Petri ad altare S. Mauricij per Ostiensem episcopũ, cui hoc ex priuilegio competit, & de mandato Papæ in Imperatorẽ consecratur. Ex Romanis verò principibus primus vnctus fuit magnus Karolus: prius namq; Imperatores, quamuis coronatos, vnctione tamen delinitos fuisse historijs me legisse non memini. Triplici præterea corona orbis princeps coronatur, vt habetur in pontificali: ferrea videlicet quam à Coloniensi archipontifice accipit: secunda argentea, ab archipræsule Mediolanensi: & tertiò aurea à summo omnium pontifice & Christi vicario coronatur. Sic olim in tribus metallis dabatur tributum Romanis, vt scribit Iohan. Andr. De fide instrum. c. inter dilectos. super gl. iudicio. & de his coronis ex ordine videndum erit. Romanorum inclytus Augustus ad regales infulas procedere volens illustri atque copiosa stipatus procerũm & magnatum comitiua solemniter, vt regalem decet maiestatem, ad Aquisgranum nobilissimum VVestphaliæ oppidum pergit, vbi sedes vnctionis & coronationis cis alpes à magnifico Karolo constituta est: illucque veniens à principibus electoribus tàm ecclesiasticis quàm sæcularibus ibidem tunc ad hunc actum celebrem congregtais eo honore, quem regia meretur maiestas, suscipitur, & magnificè cum ingenti cordis & oris lætitia intonizatur. Die quoque statuta ad ecclesiam sanctæ Dei genitricis & rex & principes omnes conueniunt, vbi ante maius altare sedes regia parata est atque decenter adornata. Archipræsules

ſules verò Colonienſis, Treuirenſis atq; Moguntinus pontificalibus inſignijs decorati, ſæculares autem ſenatoria toga & penula, id eſt veſte longa & talari induti, hermelinoq; vellere in modum almutij pectore circũ amicti procedunt. Tunc quoq; reuerendiſſimus Colonienſis archipræſul cui ex officii dignitate incumbit Romanorum regem cis alpes inungere & coronare, diuinum peragit officium, & aſtantibus ſibi cæteris principibus coëlectoribus ſuis inter diuinum officium, brachium eius dextrum cum exorcizato & inter ſcapulas perungit, ac deinde coronam ferream capiti eius imponit: quæ fortitudinem deſignat, qua vincere debet rebelles & infideles conculcare, vt 36. q. 1. c. penult. in fin. & not. gl. in d. Clem. ne Romani. ſæpè alleg. Sicque rex coronatus prima corona in ſede ſua relocatur, peractoque diuino officio dies illa à principibus & nobilibus regni lætè & feſtiuè nimis agi conſueuit. Sanè Romanorum princeps à Colonienſi pontifice regio diademate coronatus, ad imperialeque faſtigium aſcendere volens, cum copioſo & magno principum & optimatum exercitu in Italiam ſe iterum diſponit. Verùm priuſquam ingrediatur Italiam, vel ibidem iura aliqua exerceat, ſub teſtimonio ſuarum patentium literarum in manibus ambaſſiatorum à ſummo pontifice ad eum ſpecialiter ad hoc miſſorum promittere, & tactis ſacroſanctis euangeliis iuramento firmare conſueuit, vt legitur in d. Clem. ne Romani, *Quod eccleſiam Romanam & fidem Catholicam pura fide totiſq; viribus conſeruare reuerenter & defenſare velit, omnem hæreſin & ſchiſma, & hæreticos ac quoslibet fautores receptatores ipſorum exterminare pro poſſe ſuo: ac nunquam cum ſaraceno, pagano, ſchiſmatico, ſeu alio quolibet communionem catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ eccleſiæ inimico vel rebelli vel eidem manifeſtè ſuſpecto vnionem quamlibet, parentelem aut confœderationem inire velit: ſed tàm Papæ quàm ſuorum ſucceſſorum perſonas, honorem & ſtatum manu tenere, defendere & conſeruare contra omnes homines, cuiuſcunq; exiſtant præeminentiæ, dignitatis aut ſtatus.* Eidem adiiciens iuramento, *quod manu teneat ſemper atq; ſeruet priuilegia omnia per prædeceſſores ſuos Reges ac*

Imperatores Romanos præfata Romanæ ac alijs quibuslibet Ecclesijs quæcunque concessa tempore ac continentia cuiuscunq́, ipsaq́ omnia, & specialiter ac præcipuè per præclaræ memoriæ Constantinum, Karolum, Heinricum, Othonem quartum, Fridericum etiam ac Rudolphum prædecessores ipsius super concessione, recognitione, quittitatione, ac libera diuisione terrarum & prouinciarum Romanæ ecclesiæ vbilibet positarum, sedi Apostolicæ Romanisq́ pontificibus sub quocunq́ tenore concessa recognoscat, confirmet, & ex certa scientia innouare velit, & de nouo concedat, & terras ipsas atq́ prouincias recognoscat ad ius & proprietatem ipsius ecclesiæ plenißimè pertinere. Sub prædicto se obligans iuramento, *quòd nullo vnquam tempore occupet, seu quantum in eo sit, ab alio permittat occupari, nec in eis aut aliqua parte ipsarum, iura aliqua, possessiones, & tenutas habere, seu quomodolibet possidere: nec in eis etiam potestatem seu ius capitaniæ, officium aut iurisdictionem quamcunq́ per se vel per alium exercere velit. Quòdque vt princeps Catholicus, & sæpedictæ Ecclesiæ aduocatus atq́ defensor, ipsam iuuare velit, & consilijs atque auxilijs ipsi assistere oportunis contra quoslibet rebelles & inobœdientes eidem, & præcipuè contra occupantes seu turbantes terras prædictas seu prouincias, seu partem quamlibet earundem.* Sub eodem etiam iuramento promittit, *quòd tàm ipsam Romanam ecclesiam, quàm aliàs libertatem ecclesiasticam, bona, iura, prælatos, & ministros ecclesiarum ipsarum manuteneat, conseruet ac defendat pro suo posse. Et quòd ecclesiæ Romanæ vasallos contra iustitiam nullatenus offensuros deuotos atq́ fideles ecclesiæ etiam imperio constitutos benignè tractare, nec eos opprimere contra iustitiam, aut quantum in eo sit, per alium opprimi sustineat: sed in suis potius iuribus & iustitijs conseruare velit.* Hoc itaque præstito iuramento rex magnificus in regali magnificentia Italiam ingreditur, primoque ingressu ad villam Mediolanensis diœceseos & prope Mediolanum sitam, quæ Modicia dicitur, contendere debet, vbi quondam sepultura regum Longobardorum fuit, quorum colla confregit primus Imperator Germanus Karolus magnus, suæque gentis tyrannidem bello perdomuit. Illuc namque Romanorum rex secundam ibi regni sui coronam, scilicet argenteam, recepturus venit, quam sibi reue-

bi reuerendissimus Mediolanensis archipontifex ex officij sui dignitate præstare consueuit. Refert tamen gl. in præall. Clem. ne Romani, Henricum imperatorem, de quo ibi textus mentionem facit, coronam argenteam recepisse in basilica S. Ambrosij. Suscipit ergo gloriosus Augustus in Lombardia alterum & secundum diadema regni, quod argenteum esse debet. Argentum namque designans mundiciam & claritatem significat ipsum principem talem esse debere. Tum inde progrediens regum omniũ princeps Romam pergit, imperiale ibidem diadema suscepturus. Et (vt in libro pontificali habetur, qui authenticus est, vt not. Host. de seruis. c. non orbi consulit.) cum Romam venerit rex Romanorum, quàm primum descenderit de monte gaudij & peruenerit ad ponticellum, ibi consueuit libro Euangeliorum coram se posito hoc iuramentum præstare Romanis: *Ego Fridericus Romanarum rerum annuente domino futurus Imperator, iuro, &c.* Sanè quando coronari debet, cum peruenerit ad portam Collinam, quæ est iuxta castellum Crescentij siue S. Euangeli, recipitur honorificè ibi à clero vrbis cum crucibus & thuribulis ibidẽ congregato, & processionaliter deducitur vsq; ad gradus S. Petri, cantantibus vniuersis ante eum: *Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam, &c.* Responsa sub dominica Aduentus feria quarta: Camerarijs seu dispensatoribus ipsius missilia seu pecunias in vulgo longè ad turbam arcendam spargentibus ante ipsum, & præfecto vrbis gladium anteferente. Cum autem peruenit ad plateam quæ Cortina vocatur, quæ est ante basilicam S. Petri, tunc dextrandum est à Senatoribus vsque ad gradus prædictos, & eo ibi descendente equus quo insidet, dandus & tradendus est illis. Eo igitur ibi expectante, summus Pontifex cum omnibus ordinibus suis præparatus in secreta tanquam missam celebraturus venit processionaliter vsque ad suggestum areæ, quæ est in capite graduũ, vbi super fronthisterium resideat: A sinistra verò diaconis cardinalibus, primicerio & cantoribus circa illo, & magnatibus, & nobilibus & alijs officialibus & ministerialibus aulæ

papalis. Tunc rex cum archiepiscopis & episcopis, principibus, magnatibus & optimatibus suis ascendens ad summum Pontificem reuerēter osculatur flexis genibus pedem ipsius, offerens ei aurum pro suo velle, & mox benignè salutatur & recipitur à domino Papa ad osculum. Et summo Pontifice surgente rex ipse à parte dextra & prior diaconus à sinistra deducunt eum vsq; ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Turribus, vbi sub diacono euangelij textū ante altare tenente rex ipse præstat super illum huiusmodi iuramentum: *Ego Fridericus rex Romanorum, annuente domino futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor atq; iuro coram Deo & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem & defensorem fore summi Pontificis & huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & vtilitatibus suis, custodiendo & conseruando possessiones, honores & iura eius, quantum diuino fultus adiutorio fuero, secundum scire & posse meum, rectà & purà fide: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.* quod quidem iuramentum in d. Clem. ne Romani. etiam insertum reperitur. Deinde summus Pontifex cum ordinibus suis ad altare beati Petri processionaliter procedit, & facta ibi oratione ad sedem ascendit: Rege cum suis, & tribus episcopis videlicet Hostiensi, Portuensi, & Albanensi in præfata S. Mariæ in Turribus ecclesia permanentibus, vbi à canonicis S. Petri receptus in fratrem imperialibus inducitur insignijs, dato pallio suo camerario domini Papæ. Quo facto præcedentibus canonicis & cantoribus concinunt antiphonam: *Petre amas me: Tu scis Domine, quòd amo te &c.* Responsa in natali S. Petri. Cum ad ostium basilicæ principis apostolorum peruenerit, quæ porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde Comite Lateransis palatij, & primicerio iudicum Romanorum, Albanensis episcopus ante ipsam portam argenteam hanc super eo orationem effundit: *Deus in cuius manu sunt corda Regum, inclina, &c.* Cum autem intra ecclesiam ad medium rotæ peruenerit, Portuensis episcopus hanc orationem dicit: *Deus inenarrabiliter author mundi, cognitor generis humani, &c.* Post hoc procedunt, cumque ad confessionem beati Petri peruenerit, prosternunt se

in ter-

in terram, & prior diaconorum super eum dicit letaniam, qua finita episcopus Hostiensis pronunciat: *Pater noster. Et ne nos: Saluum fac seruum tuum Domine; Esto domine, Nihil proficiat inimicus in eo: Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Pratende Domine, quæsumus, famulo tuo dextram.* Alia oratio: *Actiones, quæsumus Domine, aspirando praueni.* Quo dicto procedunt ad altare S. Mauricij, vbi Hostiensis episcopus consecrat & vngit in modum crucis cum oleo exorcisato brachium eius dextrum & inter spatulas, hanc orationem dicendo: *Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas.* Alia oratio: *Deus Dei filius Iesus Christus dominus noster &c.* Attamen per huiusmodi consecrationem aut vnctionem non dicitur habere sacrum ordinem, sed sacram maiestatem. Et dicit gl. in c. Valentinianus. 63. Distinct. quod Imperator recipit ordinem militarem, non autem sacrum, licet Papæ & episcopo ministret in missa, in apparatu subdiaconali. Et olim Imperatores appellabantur Pontifices, Instit. de rer. diuis. §. sacræ. 10. Distinct. de capitulis. de quo etiam latius not. Specul. in Tit. de legat. §. nunc ostendendum. His peractis ascendit Rex ad altare beati Petri, vbi summus Pontifex recipit eum ad osculum pacis, sicut vnum de diaconis: & mox ipse procedit ad pulpitum seu ambonem, vbi thalamus constructus cum ligno & ordinatis de pallijs debet esse paratus, ibique cum suis archiepiscopis, principibus & magnatibus secundum loci capacitatem consistit. Primitus autem & cantores in choro ante altare decantant introitum, & alia. Sanè hymno angelico decantato Papa primam collectam dicit competentem illi diei: & secundò pro ipso Imperatore hanc collectam: *Deus regnorum omnium, & Christiani &c.* Deinde responsa & alijs decantatis Imperator ascendit processionaliter ad altare, & ibi Papa tradit ei gladium euaginatum de altari sumtum: in traditione gladij curam totius Imperij sibi intelligens, & tradendo dicit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Et mox cum accinctus fuit, ipse Imperator eximit ensem de

ſem de vagina,& euaginatum ter viriliter vibrat in manu,& continuò illum ad manicam exterſum in vaginam reponit. Eo igitur ſic accincto, & milite beati Petri facto, ſubſequenter Apoſtolicus ibidem primò mitram pontificalem in caput eius ponit, ac ſuper mitra imperiale diadema quod ſumit de altari, dicens: *Accipe ſignum gloriæ, diadema regni, coronam imperij.* Deinde Papa dat ei mantum, & poſteà tradit ei ſceptrum, & pomum aureum,& Imperatore genua flectente dicit ſuper eum: *Dominus vobiſcum.* Benedictio: *Proſpice, quæſumus, omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum &c.* Alia oratio: *Deus pater, æternæ gloriæ ſit adiutor tuus.&c.* Eſt autem ſciendum, quòd hæc tertia corona, qua coronatur per Papam, de puro auro eſſe debet: & deſignat aurum quod omnibus metallis eſt excellentius, ipſum Imperatorem alijs regibus & principibus in potentia & iuſtitia excellentiorem eſſe debere. Et quondam ſoluebatur tributum ad aurum coronarium, & ad coronationem principis, & poſteà coronæ pendebantur in templo ad rei memoriam perpetuam: quod quidem tributum tanquam ſuperfluum per Titum & Veſpaſianum ſublatum fuit, & nemo hodie ad huiuſmodi collationem cogendus eſt, niſi conſuetudo loci hoc habeat, vt L. vnica. C. de auro coron. lib. 10. Iudæi tamen huiuſmodi conſueuerunt præſtare tributum, vt dicit L. Iudæorum. C. de Iudæis. Orationibus ſuper memoratis completis Imperator flexis genibus oſculatur apoſtolicum pedem, quibus omnibus glorioſiſſimè geſtis Papa ad eminentiam redit ſpeculæ papalis tribunalis: & Imperator ſcandit ad ſandiſterium ſupra in amplo gradu ſub apoſtolici dextra paratum. Deinde coronatus intendens pomum aureum in dextra manu, in ſiniſtra verò ſceptrum portans ad thalamum redit. Eo itaque ibi cum ſuis prælatis & principibus aſſiſtente, prior ſubdiaconorum cum alijs ſubdiaconis Romanæ eccleſiæ & capellanis aulæ papalis ad pectorale dextrum ante crucifixum argenteum laudes Imperatoris alta voce decantant hoc modo: *Exaudi Chriſte. &c.* Scriniarij verò vrbis ſericis capucijs induti ante pectorale in choro aſſiſtentes,

reſpon-

respondent: *Domino nostro Friderico inuictissimo Romanorum Imperatori & semper augusto salus & victoria*; & repetitur ter. Qua laude tertiò repetita prior subdiaconorum cum suis dicit tribus vicibus: *Saluator mundi.* Scriniarij vicissim respondent: *Tu illum adiuua.* Deinde prior subdiaconorum cum suis duabus vicibus dicit: *Sancta Maria.* Et illi vicissim respondent: *Tu illum adiuua. Sancte Michael. Tu illum adiuua.* Et sic de sequentibus Sanctis in pontificali ordinatis. Post hoc prior subdiaconorum cum suis bis cantat: *Kyrieeleyson.* Præmissis laudibus expletis legitur euangelium: lecto euangelio Imperator corona & manto depositis accedit ad Papam, offerens ad pedes eius aurum quantum sibi placuerit. Oblatione prædicta facta Papa descendit ad altare prospiciendis missarum solemnijs, & Imperator more subdiaconi offert calicem & ampullam, & stat ibi donec Pontifex ad sedem reuersus communicet, vbi ipse depositis imperialibus insignijs sacram communionem de manu eius suscipit cum osculo pacis. Quo facto resumit pomum, sceptrum pariter & coronam, & redit ad thalamum. Missa finita pontificalem benedictionem accipit, & statim procedit ad locum, vbi debet summus Pontifex equitare, & cum ipse Pontifex ascenderit, teneat sceptrum satelles eius, & arrepto freno aliquantulum ipsum adextret, moxque suum equum ascendens equitet à sinistra parte iuxta Apostolicum vsque ad ecclesiam S. Mariæ in Transpadana, vbi dato sibi osculo ad inuicem non corde sed corpore separantur. Consueuit autē Imperator larga præbitoria omnibus illis ordinibus exhibere, quibus ea cum coronatur summus Pontifex elargiatur, videlicet Episcopis, presbyteris, diaconibus, cardinalibus & omnibus prælatis, & primicerio, & cantoribus, subdiaconis, basilicariis, & cæteris officialibus & ministerialibus; curiæ præfecto, senatoribus, iudicibus & aduocatis, scriniariis, ac præfectis monialium. Assolet prætereà Imperator, cum venit super pontem Tiberis iuxta castellum S. Angeli, creare milites. Dehincq; erecto ante eum Imperij vexillo cum aquila ad S. Iohannem Lateranensem equitat, vbi manere consueuit.

De benedictione Reginæ & eiusdem in Imperatricem coronatione.

CAPVT VII.

SI verò regina in Imperatricem benedicenda & coronanda sit, ipsa post Regis ingressum à duobus Cardinalibus deducta ingreditur Ecclesiam, & episcopus Hostiensis in medio rotæ dicit super ipsam hanc orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis &c.* Qua facta ducitur ad altare B. Petri, & facta oratione ducitur ad osculũ pedis domini Papæ, qui eam hilariter recipit & salutat. Ducitur autem postea ad eminentem thalamum ligneum palleis ornatum, qui ex opposito thalami regii sibi debet esse paratus, vbi cum duabus pell * & aliquibus ex principibus Imperii tàm ecclesiasticis quàm mundanis stare debet. Demum postquàm rex inunctus ad altare beati Petri ascendit, tunc ipsa deducitur à prædictis Cardinalibus ad dictũ altare S. Mauricii, vbi vngitur similiter ab episcopo Hostiensi & de eodem oleo, & in eisdem locis, de quo & in quibus Rex fuit vnctus, dicente orationem: *Sancti Spiritus gratia nostræ humilitatis officio &c.* Quo expleto ducitur ad aliquẽ honestum locum, vbi regiis vestibus adornatur, & ornata ad thalamum deducitur: & immediatè post coronationem Imperatoris deducitur ad altare, vbi summus Pontifex dat super eam hanc benedictionem: *Deus qui solus habes immortalitatem &c.* Deinde in capite eius mitram pontificalem imponit, ita quòd cornua mitræ sint à dextris & à sinistris, & super mitram coronam imperialem imponit, dicendo: *Officio nostræ dignitatis imperatricem.* Coronata itaque regina deducitur ad thalamum, & dicto euangelio postquam Imperator obtulit, ducitur ad oblationem summo Pontifici exhibendam, statq; in gradibus iuxta absidem versus altare S. Leonis, donec de manu summi Pontificis post Imperatorem sacram communionem accipiat: & tunc ad thalamum reducta ibi permanebit vsque ad finem missæ. Sic nuper de anno Do-

* *Locus corruptus.*

no Domini 1452. dominica Lætare in medio Quadragesimæ, gloriosissimus & inuictissimus imperator noster Fridericus III. ab illustrissima Austriæ domo exortus, cū desponsata sibi coniuge, domina Leonora serenissimi regis Portugalliæ filia, vtrisque prius per papam Nicolaum quintum ad inuicem matrimoniali iure desponsatis, ipse verò in Augustum, ipsa in Augustam coronati sunt, recepitq; vterq; à Papa nuptiarum & imperii coronas, & vno eodemque die simul & Imperator & sponsus ostenditur: quod soli Friderico post Heraclium Augustū contigisse legitur, qui etiam simul cum sponsa sua Eudocia à Sergio patriarcha in Constantinopoli & imperiale & nuptiarum diadema suscepit. Qui quidem Fridericus præclaræ ac felicissimæ memoriæ Ladislao eius nepote Bohemiæ & Vngariæ rege adhuc admodum adolescente absq; liberis defuncto, in regem postmodum etiam Vngariæ á proceribus regni est electus, ipsa quoq; electione sibi præsentata nuper de anno præterito, videlicet 1459. dominica Lætare, coram decem pontificibus pontificiis decoratis insignibus, principumq; multitudine copiosa, in ecclesia Dei genitricis nouæ ciuitatis Austriæ, curam & gubernaculum regni suscepit, regnicolis Bohemiæ quendam magnatem, Gersick nuncupatum, Bohemico regno præficientibus: quo proh dolor tristi casu sceptrum Bohemicum ab inclyta domo Austriæ sublatum est.

De Romanorum imperatoribus, quomodo supra alios Reges excellentiam habeant & auctoritatem.

CAPVT VIII.

MAiestatis imperialis excellentiam descripturus, vereor ne temeritatis arguar, quòd in tam limpidissimum altæ excellentiæ speculum intuitum figere coner. Scio equidē me haud dignè satis eius alta & magnifica extollere præconia posse, idque supra vires meas existere. Nec enimuerò in id opus calamum

impingere in præsentiarum mihi animus est: sed solũ pauca superioritatis illius super alios reges insignia succinctus sermo percurrat. Imperialis siquidem maiestas omnes alios reges in tribus potissimum excellit: videlicet dignitate, auctoritate, & insignijs imperialem gloriam decorantibus. Primò enim dignitate & honore cunctos reges antecedit Imperator, quòd non solũ terrenus, sed & diuinus sibi honor exhibitus cæteros principes meritò facit anteire. Multifariè namque multisq; modis Christus dominus diebus suæ carnis Imperium honorare dignatus est, dando in semetipso exemplum, tanquam dominus & magister, Romanum imperium ab omnibus fore honorandum. Honorauit quidem ipsum ingrediens mundum istum secundũ carnem, duobus modis. Primò quidẽ in tempore sui aduentus per Cæsarem Augustum totum mundum pacificauit, vt per ipsius domini aduentum pax esset in vniuersa terra, ad designandum, quòd ipse erit pax nostra faciens vtraque vnum, & per eũm (vt dicit Apostolus ad Colossens.) reconcilianda erunt omnia, quæ sunt in cælo & in terra. Vnde prophetarum eximius & rex inuictus Dauid canit in Psalmo: *Posuit prodigia & indicia futuræ reconciliationis super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.* & alibi: *Orietur in diebus domini abundantia pacis.* Secundò suo ingressu honorasse & approbasse videtur Romanum imperium, mox vt natus est, censui Cæsaris se subdendo, quando edictum ab Augusto exijt vt describeretur vniuersus orbis, & singuli ibant in suas ciuitates, vnde oriundi erant, vt confiterentur tribum suam. Vnde Augustinus in gl. super euang. Lucæ dicit, *Humilitas Christi commendatur, quòd non solùm incarnari voluit, sed in illo tempore nasci, in quo mox censui Cæsaris subderetur.* Deinde Christus progrediens in hoc mundo Romanum Imperium dupliciter honorauit: primò quòd dedit ei tributum pro se & Petro, vt Mathei 17, & habetur in decretis 33. q. 1. etiam nunc. Secundò, quòd non solum tributum dedit, sed etiam Cæsari dari præcepit, dicens: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Prætereà Christus egressurus mundum bis honorauit Romanum imperium. Primò dum dicentibus

centibus Apostolis, *Ecce duo gladij hic*; qui duas potestates designant in præsenti sæculo, Christus respondit, *Satis est*. Et quid est dicere, *Satis est*: nisi sufficit, & nihil deest. Protestatur ergo dominus, esse de sua voluntate potestatem sacerdotalẽ, & potestatem imperialem. Vnde Gelasius Papa, *Duo sunt*, inquit, *quibus hic mundus principaliter regitur, scilicet pontificalis auctoritas, & regalis potestas*, vt 96. Distinct. duo sunt. de maior. & obed. Hæ sunt duæ potestates principales, per quas Deus decreuit & voluit, vt mutuò sibi honorem debitum impenderent, & per eos genus humanum per iuris regulas ad vitanda mala & faciendum bonum salubriter informaretur. Secundò dominus instante mortis hora honorauit Imperium, quando Pilato dixit; *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Quod secundũ gl. duobus modis exponitur, vno sic: *Desuper*, id est, à Cæsare, qui Pilatum fecit præsidem Palæstinæ. Deus enim fuit auctor potestatis Pilati primarius, Cæsar autem secundarius. Secundũ hunc posteriorem intellectum Dominus multum commendat Romanum Imperium: ostendit enim potestatem Cæsaris alijs potestatibus mundanis præeminere, & ipsas sub eo contineri. Quid enim est, potestatem dari desuper, nisi dari ab eo, cuius potestas supereminet alias potestates mundanas tanquam inferiores & minores sub se contineat & includat: vnde omnes aliæ potestates à Romano imperio subalterna quadam emanatione defluere dicuntur. Secundò principaliter ipsa maiestas Imperialis excellit omnes alios reges & principes auctoritate & potestate. Ipse enim totum suis submittit legibus orbem, quarum ipse solus generalis conditor est, quæ & ab omnibus sunt obseruandæ, vt L. leges. C. de legib. & constit. L. constitutiones. C. de iur. & fac. ignor. Ipse autem solus Imperator legibus non constringitur L. princeps. D. de legib. 9. q. 3. cuncta per mundum. licet se velle legibus viuere profiteatur. L. digna vox. C. de legib. Et præmissa sunt vera quoad sæculares. Ecclesiastici namque non modò humano sed & diuino iure ab Imperatoris iurisdictione sunt exemti 96. dist. benè quidem. & c. 1. De iudic.

Ipse denique Augustus habet solus præ cæteris regibus regimen Romanæ Ecclesiæ. De consecr. Dist. 5. in die. & est ipse super omnes reges. 7. q. 1. c. in apibus. & omnes nationes sub eo sunt 11. q. 1. §. siquis. vers. volumus. Ipse enim est princeps mundi & dominus. L. deprecatio. D. ad leg. Rhod. de iact. & etiam Iudæi sub eo sunt. L. Iudæi. C. de Iudæis. Tum etiam omnes prouinciæ suæ maiestati de iure subduntur. 63. Dist. Adrianus, & omnia sunt in potestate Imperatoris. 8. Dist. quo iure. Tolle enim iura Imperatoris (inquit ibi text.) & quis potest dicere, *Hæc domus est mea, hæc villa mea est,* & 23. q. 8. conuenior. & L. benè à Zenone. C. de quadrien. præscript. Sibi denique in signum vniuersalis imperij & iurisdictionis omnes homines profiteri debent per tributum, & etiam propter impensas publicas fiendas. L. omnes pensitare. C. de annon. & tribut. lib. 10. c. omnis anima. De censib. nec currit contra solutionem imperialis tributi præscriptio quantocunque etiam temporis spatio introducta 16. q. 3. §. potest. Et vt prædixi, omnes potestates regum de iure communi fluxerunt ab Imperio, tanquam riuuli à flumine. & hanc materiam latius pertractat Bart. in l. 1. Quis dicat. dux. com. Hodie tamen plurimi Reges plus de facto quàm de iure Imperatorem in superiorem non recognoscunt, & suprema iura Imperij, quæ sibi Imperator in signum vniuersalis dominij & potestatis reseruauit, vsurpant: quæ an præscribi possint, not. in c. venerabilem. Qui fil. sint legit. & in c. super quibusdã. De verb. signif. vide etiam gl. notab. 63. Dist. Adrianus, quæ dicit quòd reges Hispaniæ non recognoscũt Imperatorem in superiorem, ex eo quod de faucibus infidelium regnum illud eruerunt. De Rege verò Franciæ dicit text. in d. c. per venerabilem. quod ille in temporalibus superiorem non recognoscat: quod gl. dicit esse de facto, sed de iure subsit Romano imperio. Innocent. ibidem dicit, *quod subest Papæ.* Hostiensis dicit, quod in temporalibus debet recognoscere Imperatorem in dominũ: ille enim Dei vicarius est in temporalibus, vt not. in c. 2. Qui fil. sint. legit. Subest tamen Imperator Papæ, vt ibi not. & hoc re-

spectu

ſpectu (dicit Hoſtienſ.) rex Franciæ ſubeſt Papæ, quòd ſubeſt illi qui ſubeſt Papæ. de quo etiam per Bart. in l. hoſtes. D. de capt. vbi etiam tractat, quomodo Veneti fuerint exemti ab Imperio. An autem peccent rex Franciæ, Hiſpaniæ, & Angliæ hanc ſubiectionem non recognoſcentes, videtur quod ſic. 11. q. 3. qui reſiſtit. Sed dicunt Dd. quod forte quandiu non exigatur obœdientia, poſſunt excuſari, ſicut notatur in iure decimarum, in c. cum homines. in fine. De decim. ſecund. Hoſt. An autem hæc non ſubiectio & libertas præſcribi poſſit, reſpondent Dd. quod non eſt præſcriptibilis, vt in c. cum ex officij. De præſcript. Gladius enim temporalis, qui vnicus eſt, frangi vel diuidi nō poteſt, ſicut nec gladius ſpiritualis: aliàs enim gladius non eſſet. Quanquam autem prædixi, quod Imperator ſit dominus & princeps mundi, non tamen poteſt tollere ea quæ ſunt de iure gentium, ſine cauſa: & ſic non poteſt tollere alicui rem ſuam ſine cauſa. Quia Imperator licet habeat de iure iuriſdictionem in vniuerſo, non tamen habet dominium rerum priuatarum, quæ olim fuerunt conceſſæ occupantibus, vt Inſtit. de rer. diuiſ. per tot. & quæ not. per legiſt. in l. item ſi verberatus. D. de rei vendic. Non poteſt etiam ad libitum alienare iura Imperij, præcipuè in graue præiudicium Imperij, vt not. in c. intellecto. De iureiur. licet poſſet moderatè donare: proprium namq; eſt regum & principum donare. c. 1. De dona. Tertiò principaliter Romanorū imperator excellit omnes alios reges in inſignijs Imperialē gloriam decorantibus, & ſunt quatuor: imperiale diadema, gladius, ſceptrum, & pomum aureum ſeu globus. De primo ſuprà ad longum dictum, in ſignum excellentiæ & potentiæ ſuæ. Secundum eſt gladius, qui licet & alijs regibus & principibus anteferatur, propriè tamen regis ſeu imperatoris Romanorum inſigne eſt: quod duo tantum (vt ſuprà mentionatus ſum) gladij ſunt, vnus Imperatori, alter verò Papæ commiſſus. Tertium inſigne eſt ſceptrum: & quanquam alij reges hoc itidem ſibi inſigne vendicent, Cæſaris tamen principaliter eſt proprium, qui in temporalibus gerit vicem eius, de quo in Daniele dicitur:

tur: *Qui sedes super sceptrum diuinitatis tuæ*, & in psalmo 44. *virga directionis virga regni tui.* Est enim duplex scipio siue sceptrum, scilicet iustæ seueritatis & clementiæ, vt 46. Dist. sunt namq;. De primo dicitur in psalmo; *Reges eos in virga ferrea*, & hoc quoad legis transgressores. Virga clementiæ significatur per virgam auream, quam extendit Assuerus ad Hester in signum pacis & clementiæ. Insignium quartum est pomum aureum, seu globus aureus & rotundus, significans mundum & terrarum orbem, qui rotundus & sphæricus est: designatq; ipsum Cæsarem mundi esse dominum. Quod quidem insigne alii reges sibi non vsurpant, quòd nullus alius præter Cæsarem orbis terrarum dominus est. Pertinet autem ad Comitem Palatinum pomum aureum ferre ante regem sæculi, ad ducem Saxoniæ gladium, & ad marchionem Brandeburgensem sceptriferæ dignitatis honor spectare consueuit.

An maiestatis Imperialis auctoritas deriuetur in Cæsarem immediatè à Deo, vel illam accipiat ab eius vicario summo.

CAPVT IX.

AVctoritatem & excellentiam Imperatoriæ potestatis inter principes sæculi maximam fore suprà ostendimus. Sed solet à scholasticis & doctissimis viris nonnunquam in concertationem venire, An hæc secularis potestas gladiiq; temporalis exercitium deriuetur in Cæsarem immediatè à Deo, vel subalternam emanationem à vicario Iesu Christi illa accipiat. Et licet non intendam hanc quæstionem in dubium reuocare, quod non longè foret ab hæresi pertinaciter negare temporalem Cæsaris iurisdictionem à summo Pontifice deriuare, in quem haud cunctanter iura cœlestis & terreni Imperij à Christo plenissimè sunt translata. Nam sicut ponere duo principia hæreticum est, vt De sum. trinit. & fide cathol. c. 1. Sic etiam ponere duos vicarios æquales in terris hæreticum esse videtur, fac. gl. notab. in c. non autem

autem. 6. q. 1. Nihilominus tamen quod ſcripturarum ſolatio inſiſtere libuit, pauca motiua præcipuè quorundam legiſtarum in oppoſitum adducere mens eſt. Quòd enim imperium Romanum immediate à Deo ſit, & non à Papa, arguitur ſic: Nullum id quod prius eſt, dependet ab eo quod poſterius eſt, vt ait ſapiens 13. lib. de animal. Sed Romanum imperium fuit prius quàm papale, vt 17. Diſt. legimus. Ergo ab eo non dependet. Præthereà dominiũ temporale ſummi Pontificis videtur expreſsè fuiſſe collatũ Syluestro à Conſtantino: vt 96. Diſt. c. coronam, & c. Conſtantinus. Per quod manifeſtè videtur, quòd Eccleſia ab Imperio iuriſdictionem habet temporalem, & non è conuerſo. Tertiò, nam ſacerdotiũ & Imperium fluxerunt ab eodem principio, ſcilicet à Deo. Auth. quom. oport. epiſc. in princ. 23. q. 4. c. quæſitum. & c. ſolite. De maior. & obœd. fecit Deus duo luminaria magna, per quæ iſtæ duæ ſupremæ dignitates, ſacerdotium & imperium, intelliguntur. & c. cum ad verum. 96. Diſt. vbi dicit Canon: Nec Imperator iura pontificatus arripiat, nec Pontifex iura imperatoris vſurpet. Ergo poteſtas Imperialis non fluxit à Papa. Sed pulcerrimis rationibus contrariũ aſtruit eccleſia. Quod enim vtraq; poteſtas & ſpiritualis & temporalis ſit penes Papam, ſpiritualis quidem habitu & actu, temporalis verò habitu, probatur ſic ſecund. Ioh. de Ligna. Quod in habentibus ordinem in vniuerſo impoſſibile eſt eſſe duo æquè perfecta. Sed Imperator nõ eſt maior; ergò nõ erit æqualis; & per conſequens ſolũ erit vnũ caput principale in terris, quod perfectiſſimũ eſt, à quo cætera mouentur & dependent, quod eſt Papa. Præterea militans Eccleſia diuinitus eſt exemplata ab eccleſia triũphante, dicente Iohan. in Apocal. 12. vidi Ieruſalem ſanctam deſcendentem de cœlo &c. & Moyſi dictũ eſt Exod. 25. quod omnia faceret ſecundũ exemplum ſibi monſtratum. Cum igitur in eccleſia triumphante ſit princeps vnus ſummus, cuius obœdientię tota ipſa eccleſia perfectiſſimè eſt ſubiecta; neceſſariò ſequitur, quod & eccleſiæ militanti vnus ſummus prĩceps præſideat. Sed Imperator ille eſſe non poteſt, cum non valeat præeſſe in ſpiritualibus.

O

Ergo est Papa, qui & in spiritualibus praeesse potest, & per alios ministros saeculi vindictã sanguinis exercere. Nam & patriarchę, & sacerdotes veteris testamenti vtramq; potestatem habuerunt. & exercuerunt, 11. q. 1. relatum. & not. Innoc. in c. licet ex suspecto. De foro compet. Item ipse Christus vtramque potestatem in hoc saeculo exercuit: ipse enim flagello facto de funiculo eiecit ementes & vendentes de templo, vt habetur Math. 11. & 1. q. 3. ex multis. vnde in psalmo: *Deus iudicium tuũ regi da*, & hanc potestatẽ simpliciter transtulit in Petrũ dicendo: *Pasce oues meas*, non distinguens in modo pascendi. Imò cum Petrus diceret, *Ecce duo gladij hic*, Christus respondit; *Satis est*. non dixit, *nimis est*. Sed cum gladio vellet vti, Christus prohibuit dicens, *Mitte gladium tuum in vaginam*. non dixit, *Abijce gladium*. Vnde tantùm prohibuit exercitium & executionem gladij ratione supradicta. Omnia enim verba haec ponderanda sunt, cum Christus semper ferè figuratiuè locutus sit. Praetereà Christi vicarius imperium transfert de certo genere personarum ad aliud genus: Imperatorem inungit, approbat & coronat, ac causis exigentibus reprobat & deponit, vt in c. ad apostolicae. De re iudic. lib. 6. Et haec omnium Canonistarum indubitata sententia est, quòd in Christi vicarium vtraque potestas translata sit, apud quem sunt iura coelestis & terreni imperij, vt dicit text. in c. omnis. 22. Distinct. & habeat in spiritualibus iurisdictionem habitu & actu: in temporalibus verò tantùm habitu. executionem gladij temporalis ecclesia committit Imperatoribus tanquam suis ministris. Hinc est quod in eius coronatione sumit Papa gladium de altari, datque illum in manu Caesaris, vt supra visum est. Ad contraria verò in oppositum allata respondeo, Et ad obiectionem primam, Quòd Imperium fuit ante Papatum, dicitur: quod etsi permissiuè praecesserit Imperium approbatiuè tamen secutum est. Ante Constantinum enim imperium Romanum non fuit approbatum à Deo, imò violentum & per tyrannidem sumsit exordium. Narratur enim in Chronicis, quod ipse Constantinus beato Syluestro gladium tradidit, & insignia

regalia,

regalia, in signum, quòd vsque ad eum nullus fuit Latinus imperator, vt narrat Archidiac. 10. Dist. quoniam. Ipse enim Constantinus fuit primus, qui sacra fide Christianorum muniuit imperium, vt ait L. Diui. C. de natur. lib. Et quanquam ante Petrum esset imperium, non tamen erat ante sacerdotium. Vnde sacerdotium Melchisedech præcessit legem scriptam, de quo in c. translato. De constit. & sic etiam longe antecessit imperium. Et cum natus erat Christus rex & sacerdos in æternum, vtramq; potestatem in se transtulit, eò quòd ipse esset verus & naturalis dominus mundi: ob quam causam Octauianus Augustus mox nato Domino diuino agitatus spiritu edicto prohibuit, se deinceps Dominum nominari. Christus autem in suum vicariũ plenitudinem terrenæ & cœlestis potestatis transfudit: aliàs enim quomodo vicariatus suus sufficiens foret, si Imperio non præesset. Ad secundum respondetur, quòd donatio facta per Constantinũ Syluestro non habuit vim collationis, sed cessionis. Syluestro enim vt vicario veri & naturalis domini debebatur, & res de facili redit ad sui naturam. L. si vnus. D. de pact. 35. Dist. ab exordio. Nec obstat, quod ad tempus vicarij Christi se de temporali iurisdictione non intromiserunt; quoad oportuno tempore sedata persecutione martyrum Deus voluit suum euangeliũ publicè & sine metu prædicari; & tunc virtus Christi principém mundi sollicitauit, percutiens eum lepra, ac ipsum curans supra humanam virtutem: qua probata inspiratus diuinitus cessit vicario Christi, sedem suam Byzantium transferens, vt in 1. libro supra memoratũ est. Certè hoc non abnuitur, imò fatendũ est cum Apostolo ad Romanos scribente; *Non est potestas nisi à Deo:* & quod Imperium sicut & sacerdotium processit à Deo, & nedum summum Imperium, sed & quælibet inferior potestas. Veruntamen hæc potestas non deriuatur in principem sæculi immediatè à Deo, sed per subalternam emanationem, vt prædixi. Est tamen verum, quod sine magna & vrgente caussa Papa se de Imperio intromittere non debet, vt not. in c. licet ex suscepto. De foro comp. & in c. nouit. De iudic.

Ad quem Romano imperio vacante iurium rerumq; Imperij administratio spectare dicatur.

CAPVT X.

NVnc videndum est, ad quem imperio Romano vacante administratio iurium & rerum Imperij spectare dicatur. Et quidem de iure communi Papa in administratione huiusmodi succedere debet, secundum Dd. qui hoc not. in c. licet ex suscepto. De foro compet. fac. c. alius. 15. q. 6. & c. cum inter vniuersas. in fin. De elect. Quod vt iam visum est, Imperium immediatè ab Ecclesia dependet, quare si vacat, ad eius iurisdictionem redire debet. Idque vult Innoc. in quolibet principe superiorem in temporalibus non recognoscente. Veruntamen Karolus IIII. in sua constitutione, Tit. de iur. Com. Palat. & Duc. Saxon. determinat, quod vacante Imperio comes Palatinus Rheni in partibus Rheni, Sueuiæ, & in iure Franconio ex comitatus sui priuilegio prouisor debeat Imperij, cum potestate iudicia exercendi, & beneficia præstandi, de feudisque inuestiendi, principum feudis & illis quæ *Vanleben* vulgariter nuncupantur, duntaxat exceptis, ita tamen quod ad alienationem siue obligationem rerum Imperialium manum non extendat. Sic quoq; in locis, vbi iura Saxonica seruantur, in duce Saxoniæ idē dispositum reperitur. Habet quoque illud insigne priuilegium comes Palatinus, vt Imperator coram eo conueniri & de iustitia respondere teneatur. Illud tamen iudicium non alibi quàm in Imperiali curia, vbi Imperator præsens extiterit, vt in eadem constitutione declaratur, poterit exercere.

De nobilitate, & quibus causis nobilitatis iura nascantur.

CAPVT XI.

Cæsareæ

CÆsareæ gubernator monarchiæ diuersis ordinibus adornatur, à quo vt ex fonte totius nobilitatis iura descendunt. Ideò de nobilitate paulisper differere statui. Aristoteles autem philosophorum omniũ præstantissimus in 5. Politic. describens nobilitatem ait, *illam esse virtutes & antiquas diuitias*. & alio in loco, *Nobiles videri, quibus extiterint virtutes & diuitiæ progenitorum*. Sed cum hæc descriptio non in virtutibus solùm, sed & in adiunctis fortunæ bonis nobilitatem ponat; sequeretur absurditas, vt cum diuitiæ sint bona fortuita, quæ dari & aufferri possunt, esset in fortunæ arbitrio sita nobilitas, vt abeuntibus copijs simul & nobilitas abiret. Vnde Aristotelem arbitror non ex animi iudicio, sed ex vulgi & communi opinione locutum. Nam in Ethicis, vbi ex veritate quod sentit exprimit, illum appellat generosum, cui ex natura inest vt discernat quæ vera sunt & appetat verum bonum: hacq; natura aliquem natum verum & perfectum nobilem appellat. Cui applaudit Stoicorum sententia, qui bonorum finem in honesto & virtute posuerunt, & nobilitatem ex sola nasci virtute voluerunt. Et Seneca ex Stoicorum secta philosophus excellens ad Lucilliũ epist. 44. idem sentiens ait, *Non facit nobilem atrium fumosis imaginibus plenum, sed animus*. Nam Socrates patricius non fuit, Platonem non suscepit philosophia nobilem, sed fecit. Nihil enim secundum illos est nobilitas, nisi excellentia quædam qua digniora indignioribus præstant. Vti igitur hominis præstantia nobilior est omnibus animantibus, ita quadam claritate tantũ animi homo hominem antecellit. Nam cum in optimis artibus diu exercitatus animus iustitia, pietate, constantia, magnanimitate, moderatione ac prudentia claruit; cum bene de Deo immortali, de parentibus, de amicis, de cognatis, ac de republica meruit, & in sanctissimis literarum studijs educatus fuerit; tũ profecto præter cæteros nobiles pollens, illustris & clarus habebitur. Contra verò cũ de pessimis artibus corruptus ad nequitiã & crudelitatẽ & ignauiam ac socordiã, ad intemperantiam & impudicitiã se tradidit, cum nulla fuerit ei rerũ diuinarum cura, ac parentum pietas aut amicorũ beneuolentia;

vtique apud recta ratione iudicantes miser, ignobilis, turpis, abiectusque iudicandus erit. Est itaque iuxta Stoicos propria sedes nobilitatis animus: cum enim nobilitas sit accidens quoddam, aut inhæret corpori, aut animæ. Corpori quidem inhærere non potest. Tolle enim iactantiã, inquit in 5. De ciuit. Dei Augustin. & omnis caro quid est, nisi caro. Ergo est accidens animæ, quod per generationem non transfunditur. Dd. in iure nostro scribentes in c. 1. De donat. duplicem ponunt nobilitatem, vnam generis, quam græci εὐγένειαν, id est, generositatem appellant: alteram verò virtutis. Et vtraque nobilitatis ab ecclesia nominatur, vt not. in c. de multa. De præbend. Dicit enim Cynus legũ monarcha præclarus in l. prouidendũ. C. de postul. nobilem moribus atq; virtutibus præferendũ esse nobili genere tantùm: quod primus per se suam adipiscitur nobilitatem, quod in eo propriũ decus refulget: alter verò pollet tantùm nobilitate maiorum, quæ est aliena. Ad quod optimè facit text. in c. nunquam. 56. Dist. Hinc dixit quidam: *Si nobilis es, laudas parentes.* Et Cicero contra Sallustium: *Sanctius est meis me fulgere moribus quàm maiorum opinione niti, vt sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.* Sed sacræ leges tractantes de nobilitate, sumunt illam in toto corpore iuris ciuilis pro nobilitate generis siue politica, prout nobilis differt à plebeio, vt not. in l. 1. C. de dignit. lib. 12. propter vitia tamen & delicta huiusmodi nobilis etiam perdit dignitatem & nobilitatem, vt l. iudices. C. eod. Et ex hoc infertur, quod secundum ius ciuile quis pro tempore potest esse nobilis, & pro alio tempore ignobilis. Nam & mulier nobilis nupta plebeio desinit esse nobilis, vt habetur in d. l. 1. in fin. & è conuerso plebeia nupta nobili efficitur nobilis, vt l. mulieres. eod. & l. feminæ. D. de senator. vbi dicit text. Feminæ nuptæ clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur: Mulier tamen illustris etsi nubat nobili inferioris dignitatis, nihilominus tamen illustratur & coruscat nobilitate suorum progenitorum, vt l. sæpe alleg. & 1. liberos. D. de senator. Præterea plebeius factus miles nobilitatur, vt d. l. 1. C. de dignit.

dignit. ſed Florentiæ remanet popularis. In hoc enim regionis attendenda eſt conſuetudo. Quamuis autē in præmiſſis ſapientiſſimorum virorū ſtet de nobilitate ſententia; attamen nobilitatis opinio ſecundum diuerſitatem morum & prouinciarū variatur. Vt enim inquit Hieronymus, *Vnaquaq; prouincia in ſuo ſenſu abundat*. c. certificari. De ſepultur. Verùm quantum ad noſtrates pertinet, quibus in rebus nobilitatis ponant conditionem, videndum eſt. Noſtrates contradicentes omninò Stoicorum ſententiæ in ſola generis claritate nobilitatem ſitam eſſe volunt: ita vt quantumcunque doctiſſimus, & in republica exercitatiſſimus, aut virtutum laude inſignitus quiſquam fuerit: niſi illi à progenitoribus generis adſit claritas, ignobilis apud omnes reputetur. At verò ſi quiſpiam à rurali vel montano tugurio, vel luporum (vt ita dixerim) cubiculo progrediens, quamuis nulla præditus virtute, nulla ſapientia, nulla doctrina redimitus, imò nonnunquam raptu & vitijs viuens dummodo aliqua quantumcunque modica maiorum & parentum ſuorum nobilitatis ſpecie illuſtretur, perfectus nobilis iudicatur, & præ alijs honoratur. Si qui autem reperiantur, qui animi nobilitatem extollant, illam magis ad auium aucupio & venatui quàm virtuti & ſapientiæ deditum retorquere ſolent. Quinimò id moris apud eos irrepſit, vt dedecori habendum ſit nobilium filios literis ſcientiæ & virtutum exercitio imbui: maluntque illos ſomno, quieti, ocio, vino, epulis, libidini atque impudicitijs vacare; & mox poſtquam literarum apices vix ruditer depingere ſciant, illicò puerulos ad canes & equos alendum applicare ſolent; quaſi ſi diutius literarum inſiſterent ſtudio, aliquam turpem inde notam contraherent, neſcientes miſeri, quid Imperatoria lex profiteatur in Auth. habita. C. ne fil. pro patre, quæ dicit, *Orbem terrarum ſine literatis & viris virtuoſis regi non poſſe*. & alibi, *Quòd per literarum ſcientiam mundus illuminatur*. Imò ſecundum leges, quilibet Doctor dicitur nobilis, & gaudet priuilegio nobilium, vt vult. Bart. in l. medicos. C. de dignit. lib. 12. & ſi viginti annis in cathedra legerit, Comitis priuilegio gaudere debet, vt ibi notatur.

tatur. Sed vt ad nostros redeam, sunt nonnulli fastuosi, plebeij tamen, qui cum nobilitatē summo conatu adipisci desiderent, nec aliam viam sibi ad illam assequendam apertam vident, ad equestrem ordinem se conferunt, itineribus & stratis publicis insidiari moliuntur: hoc enim exercitio gradum nobilitatis se assecuturos arbitrantur, & quo quisq; eorum animo audacior & ad inuadendum rempublicam promtior est, tanto se magis existimat nobilitari: Imò quod risu quoque dignissimum est, plerique ex stultorū numero his quasi ob virtutum meritum ascribentes, propter huiusmodi inuasionis exercitium bene meritos illos appellare non verentur: nobiles autem modestè & pacificè viuentes tanquam degeneres despiciunt, ciues eos appellantes, quod nomen longè à nobilitate remotum esse volunt: quasi in equestri exercitio, cui nulla virtus admixta sit, nobilitas sita esse videatur. Inter Romanos equestris ordo in minima parte nobilitatis ponebatur, vt in l. vnica. C. de equest. dignit. lib. 12. sed dicebantur nobiles patriciorum familiæ, & qui ex triumphalibus, consularibus, senatorijsque viris longa stirpe originem trahebant. Et ad modum miror nos tantum ab eorum opinione differre. Soleo sæpe ad me ipsum stimulari doloribus, cum Poggij Florentini poëtæ & oratoris hac nostra ætate clarissimi libellum legere cœpero, quem *De nobilitate* edidit: qui cum mores conditionesque nobilitatis diuersarum prouinciarū descripserit, hanc laudem Germanicæ nobilitati tribuit. Ait enim, vt suis verbis vtar: *Germani atq; Alemanni, quibus census patrimonij ad victum suppetit, & hos qui procul vrbibus, aut qui castellis & oppidulis dominantur, quorū magna pars latrocinio deditur, nobiles censent. Quibus humanius ingenium natura dedit, hærent principibus, quorum in aula assuescunt cultiori vita, rudes tamen & moribus asperi.* Hæc Poggius. Verùm quanquam apud insipientiores vulgaresque homines hæc opinio nobilitatis exorta sit, apud tamen viros grauiores floccipenditur despicatuiq; habetur, nec atrium principum ingreditur semper, qui solos illos nobiles existimant, quorum nobilitas cum virtute semper floruit, & honore. Illorum profecto quo-

ctò, quorum adhuc ingens occurrit numerus, magnopere commendanda nobilitas est & præ cæteris honoranda, qui acceptam à progenitoribus claritatem ob res vel bello vel pace egregiè gestas virtutum exercitio nutrire satagunt & conseruare, quique non ad inferendam sed propulsandam patriæ iniuriam arma capessere student, ac in omnem casum in rempublicam fidelissimos se patronos ostendunt. Hac enimuerò nobilitate præditos antiqui Romani colebant, quam & nostri principes diligere debent, & inferiores admodum venerari. Est prætereà & altera nobilitas, quæ creata dicitur. Apud principes enim id moris inoleuit, vt Imperator & Reges priuilegio & literis faciant nobiles, nulla habita virtutis ratione. Ita illud quod risu dignũ est vsu & obsequio, isti scriptura & cera (vt Poggius ait) nobilitatem adipiscuntur. Et hoc quidem absurdum secundum eos, qui in virtute nobilitatem ponunt. Illa enim extrinsecus non prouenit, sed à propria descendit virtute, quæ inter principum munera non admiscetur. At si aliunde nobilitatem eruimus, non dubium quin Imperator nobiles creare possit, qui & principes creat, & nobilitatis conditor iure censeri potest: à quo terrenæ dignitates vt ex abysso defluere dinoscuntur. Sacrilegij enim instar obtinet dubitare, an is sit dignus, quem princeps elegit, vt inquit L. 2. C. de crim. sacrileg. & 18. q. 4. §. qui autem. Princeps etiam inferior Imperatore, qui præscripsit iura regalia, secundum ius ciuile nobiles creare potest. arg. l. 1. D. de emancip. liber. & L. 1. D. de decurionib. & ciuitas habens facultatẽ condendi leges statuarias, vt L. omnes populi. D. de iust. & iure. Nam potest huiusmodi ciuitas per statutum aliquos facere nobiles, non tamen puto quod tales extra ciuitatem statuentem debeant reputari nobiles. arg. c. fin. De constit. lib. 6. in fine. Mercatores tamen, quamdiu mercimonijs insistunt, nobilitari non debent. arg. L. milites. D. de re milit. lib. 12. facit etiã L. nobiliores. C. de commerc. quæ dicit, nobiliores natalibus & honorum luce conspicuos, patrimonioque clariores perniciosum vrbibus mercimoniũ exercere prohibemus. Et Theologorum

decus Hieronymus, non arbitratur peſtem eſſe maiorem, quàm plebeium nobilem creatum: Clericum enim, inquit, negociatorem, ex inope diuitem, & ignobili glorioſum, quaſi quaſdam peſtes fuge. 88. Diſt. c. negociatorem.

De ſeptem nobilitatis gradibus, quibus terrena regitur monarchia.

CAPVT XII.

DIuerſis nobilitatis ordinibus, velut membris à Cæſarea potentia dependentibus, terrena regitur monarchia. Qui quidem ordines etſi ſecundum regionũ diuerſitatem varientur, ex libro tamen feudorum Friderici I. Aug. ſeptem principaliter gradibus continentur. Primus & ſupremus poſt Cæſareum gradus eſt Regum, ſecundus Ducum, tertius Marchionum, quartus Comitum, quintus Capitaneorum, qui propriè valuaſores olim appellabantur, ſextus Vaſallorum, & ſeptimus Valuaſinorum; prout illi enumerantur per text. in c. quis dicatur dux, marchio. & gl. in c. fundamenta. De elect. lib. 6. Nos verò tres inferiores gradus aliis nominibus deſignamus, videlicet barones, miniſteriales, & clientulos. Rex dicitur qui de aliquo regno per Imperatorem eſt inueſtitus, vt in lib. feudor. Tit. de feudo march. ducat. & dicitur à regendo. Dux ſolito more vocatur, qui à principe de ducatu aliquo inueſtitus eſt. & dicti ſunt primò duces à ductu populi, ſed præcipuè in caſtris. Eſt enim ipſorum officium exercitum dirigere & ipſum in pugna præire; & ideò in lingua Teutonica dicitur *Hertzog*, quaſi *Zogheer*. Vnde cum filij Iſrael impugnarentur à Cananæis, quæſiuerunt ad inuicem (vt ſcribitur in lib. Iudicum) Quis aſcendit ante nos in Cananæum, & quis erit dux belli. Et hoc nomen tali rectori propriè conuenit, propter difficultatem regendi populũ, quando eſt in pugna, ab excellentia regiminis: qua vtique ratione & Ieſus Naue qui feliciter pugnauit bella Domini, Dux appellatus eſt. Et Scipio Africanus, Atilius Regulus, Magnus Pompeius, &

ius, & alij plerique consulares viri, qui exercitibus ducendis & gubernandis præfecti erant, à Romanis duces appellati sunt. Dignitatis autem hodie plusquàm officij nomen est. Aliud autem nomen dignitatis deseruiens imperatoribus & regibus, dicitur Marchio, & est ille, qui à principe de marchia inuestitus est. Dicitur autem marchia, quia cara, id est, collecta, & iuxta mare plerunque sit posita. Alij dicunt quod dicitur à marcha, quod est singulare diuitum pondus, per illud significatur recta & rigida iustitia, qua quidem iustitia illustres Marchiones Badenses plurimum commendantur, quòd non solùm nomine, sed & reipsa se marchiones ostendunt. Et plerunq; huiusmodi principes marchionali titulo illustrati in locis asperis demorari consueuerunt, ob quam causam confinia regionum quæ quidem sunt loca montuosa rigidaque, apud nonnullos marchiæ appellantur, & interdum prouinciæ lasciuum gignentes populum, quorum vtrumque genus rigore iustitiæ conseruari necesse est. Marchiones autem & comites propriè regum capitanei maiores dicuntur, vt in lib. feudor. in princ. Hunc gradum sequitur generosum comitum nomen. Dicitur verò propriè Comes, qui de aliquo comitatu inuestitus est à principe. Sunt autem huiusmodi comites multiplici differentia distincti. Alij enim sunt comites prouincias regentes, qui Landgrauij dicuntur: alij comites castrenses, qui castrũ à principe feudi titulo possident, vt eius guardiam seu gastaldiam, id est, custodiam gerere debeant, & dicuntur Burggrafij. Fuit verò nomen comitum primo post exactos reges à populo Romano assumtum, vt dicit Isidorus 11. etymol. eligebantur namque tunc singulis annis duo consules, quorum vnus rem militarem, alius autem rem administrabat ciuilem, & isti duo consules vocati sunt comites à commeando simul per veram concordiam, qua sola aucta fuit res publica, vt tradit Sallustius de bel. Iugurth. processu verò temporis nomen istud à Romano abolitum est regimine, in statumque dignitatis translatum: tunc à concomitando dicti sunt. Ipsorum enim præcipuum tunc erat officium Imperatorem comitari &

sequi tùm in rebus bellicis, tùm alijs domesticis forensibusque negocijs pro imperij vtilitate gerendis. Hi autem & nomine & officio distincti erant, vt ex corpore legum sub diuersis titulis traditum est, quorum hodie nomina partim aboleuit antiquitas. Alij enim erant comites rei militaris, quibus regendæ militiæ cura commissa erat: alius autem comes erat palatinus; qui in palatio Imperatoris continuus erat, gerebat curam tributorum prouincialium, & iudicis & notariorum negligentiam arguebat: erat & comes Orientis, qui procurator fuit Cæsaris earum rerum, quas in Oriente habebat: comites etiam fuerunt, qui comites dicebantur rerum priuatarum, qui procurationem gerebant rerum Cæsaris priuatæ rationis seu rerum fiscalium, & illi erant illustres: fuerunt & comites sacrarum largitionum, per quos princeps sua stipendia militibus & alijs largitus est: Comes deinde erat sacri patrimonij, qui Imperatoris patrimoniũ, immobilia bona procurabat. Alij tamen erant comites consistoriani, qui consistorio principis assistebant, & spectabilibus consulibus æquiparati sunt, vt C. de comit. consist. lib. 12. Et quia plures comites Alamannia habet, qui de comitatu quopiam non sunt inuestiti, sed à castellis priuatis quæ possident, titulos suæ dominationis contraxerunt, quorum maiores arbitror Romæ huiusmodi Comites extitisse, nomenq; dignitatis & dum exteras nationes peterent, retinuisse. Hos nobilissimum capitaneatus nomen, quod nos Baroniatum vocamus, subsequitur. Est autem capitaneus siue baro is qui à principe vel potestate aliqua de plebe vel plebis parte per feudum fuit inuestitus, & valuasores vasallos habet: qui propriè Valuasor maior olim appellabatur, & Baro à labore, quasi fortis in labore, secundum Isidorum. Barys enim græcè grauis siue fortis vocatur, quòd debet esse in continuis gymnasijs & virtutũ exercitijs, vt in partibus Germaniæ atque Galliæ solitum est fieri. Nam (vt Vegetius dicit de re milit.) decet illos primos esse in acie ad bellandum pro subditis: idcirco assiduitate exercitij audaces efficiũtur & prompti. Nullus enim (vt idem Vegetius inquit) attentare dubitat, quod

quod se benè didicisse confidit. Sunt autem Barones in Alemania in duplici differentia: alij quidem dicuntur simpliciter barones, alij Semper-barones. Semper-baro is esse fertur, quià nullo horum feudum habet, sed alij ab ipso, adeoq; liber est, vt nulli ad fidelitatis astringatur iuramentum, vt propriè barones de Limpurg esse dicuntur. Est autem Alamannis inueteratus vsus, & longè retrò obseruata consuetudo, non magna (quantũ conijcere possum) ratione suffulta, vt baro copulando sibi militaris & inferioris generis coniugem prolem suam inde creatã degeneret atq; debaronizet, filijq; de cætero barones minimè vocitentur. Comites verò per connubiũ cum simplicis militaris generis feminis, natos filios non decomitant: sed si eorum filij itidem in militarium genus nubant, ex tunc illorum demum proles decomitatur, militariumq; generis ordini deinceps connumeratur. quæ profectò obseruantia haud satis honesta esse videtur. Post baronũ ordinem Valuasores, id est, minores capitanei, qui & proceres siue ministeriarij dicuntur, locũ sibi vendicant, simplicem militiam transscendentes: & sunt illi, qui à maioribus Valuasoribus & capitaneis feudũ tenent, & ipsi etiam alios Vasallos habent, vt dicit L. in d. Tit. quis dux. march. comes. vt sunt propriè domini mei de Andlo, de Hohenstein, de Landsperg, Treger, & his similes. Illæ enim quatuor familiæ sunt Valuasores siue vicedomini hereditarij illustris Argentinensis ecclesiæ, ex quibus vnam personam ad vicedominatus dignitatis regimen assumere tenetur, qui etiam plurimos minoris militiæ nobiles feudali iure vasallos habent, iureq; proprio in prælijs suo panderio militare possunt. Hunc Valuasorũ ordinem sequitur infimus nobilitatis gradus, qui ex libro feudorũ Valuasini denominantur, id est, minimi Valuasores, & sunt illi qui à superioribus, & nullus ab eis feuda tenent, quos & clientulos more nostro appellamus. Plurima tamen etiã sunt nomina principibus & nobilibus secundum diuersas regiones assignata, & à prædictis differentia, quæ breuitatis gratia in præsentiarũ succindo. Omnes autem prædicti principes nobilesque in auxilium ministeriumq;

Deest aliquid.

sacri Imperij sunt instituti, ex quibus terrena perfectissimè constituitur monarchia. Quorum primum est officium rempublicam in terris sibi commissis tùm regere, tùm etiam ab oppressoribus defensare: inuigilare commodis subiectorum, pacem diligere, iustitiam colere, neque vnquam nisi ad iniuriam propulsandam bellum alijs inferre, vt legibus sacris & canonibus sancitum est, in Auth. de pace tenen. 33. q. 1. c. noli. de treuga & pace, per tot. Illi enim (vt & Platoni & Tullio in 1. Offic. placet) non solùm sibi, sed & patriæ nati sunt; in qua sanctè, piè, & iustè versari; nec nisi vt in pace sine iniuria viuatur, arma capessere debent. Quod quidem onus etsi cunctis temporalem gerentibus gladium incumbat, septem tamen principum electorum humeris præcipuè incumbere debet, qui in partem sollicitudinis Cæsaris vocati sunt, & pars corporis eius esse censentur. Et notandum, quod legum dispositione solus princeps inter prædictos gradus vti debet vestibus holosericis, id est, textis de optimo auro, quod in vulgari Italico dicitur aurũ foliatum; nec etiam tinctum murice, id est, sanguine muricis illius piscis, qui color pretiosus est vt aurum, & hæc omnia habentur in C. de vestib. olober. & de auro etc. lib. 11. Solus denique princeps in frenis & sellis equestribus, in baltheisque & zonis suorum vestimentorum pro ornatu suo potest vti his tribus gemmarum generibus, scilicet margaritis, smaragdis & hyacinthis. Sunt enim illæ & propter virtutes, & etiam significatũ cæteris pretiosiores. Conuenit enim principem priuatis hominibus præpollere. Militibus tamen fibulis & baltheis suarum chlamydum & ante pretiosa factis vti permittitur, dummodo in illis non sit vlla gemma intexta: exceptis ornamentis mulierum & annulis aureis, in quibus tàm maribus quàm feminis vsus gemmarum permissus est: aliâs huiusmodi ornamenta deferentes legibus puniuntur, vt C. nulli licere in fren. & equest. sell. lib. 11.

De militibus, & veteri iure militari.

CAPVT XIII.

VEnio nunc ad præcipuum decus & ſtabilimentum Romani imperij, videlicet militarem diſciplinam: cuius tenaciſſimum vinculum apud Romanos milites ſincerum ſemper & incolume ſeruatum fuit, Valerio teſte, lib. 2. Tit. De diſcipl. milit. in cuius ſinu ac tutela ſerenus tranquillusque beatæ pacis ſtatus requieuit. Fortiſſimi etenim milites & ad augmentum & cuſtodiam Romani principatus reique publicæ tuitionem ab olim potiſſimè ſunt inſtituti. Vnde Vegetius, qui & ipſe Romanus fuit, lib. 1. de re milit. *nulla alia re,* inquit, *videmus Romanum populum orbem ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrenſi, vſuque militiæ. Quid enim aduerſus Gallorum multitudinem paucitas Romana potuiſſet? Quid aduerſus Germanorum proceritatem noſtra breuitas valuiſſet? Afrorum dolis atq; diuitijs impares fuimus: Græcorum artibus atque ſapientia nos vinci nemo dubitauit. Sed aduerſus hæc omnia profuit militem ſolertem eligere, vim armorum cotidiano docere exercitio, & regulam diſciplinæ ſemper in caſtris inuiolatam ſeruare.* Dictus autem eſt miles à militia, vel duritia quam pro nobis ſuſtinere conſueuerunt, vel à mille eò quòd antiquitus ex mille fortè vnus præcipuus ſtrenuus eligebatur in militem, quaſi milleſimus dictus. L. 1. §. miles. D. de teſtam. milit. Eutropius autem in hiſtorijs Romanorum tradit, milites ex eo nomen traxiſſe, quòd Romulus condita vrbe centum elegit Senatores, quorum conſilio omnia ageret, & mille pugnatores, quibus deliberata executioni mandaret: ideoque à millenario numero appellatos fore. Secundum traditionem autem legum veteremque Romanorum obſeruantiam non illicò is in numerũ militum referebatur, qui adhuc tyro in expeditione aliqua & ſtipendijs publicis militabat, ſed ſolum qui habebant omnia conrequiſita ad militiam. L. penult. D. de teſtam. milit. Requirebantur autem ſex vt militari gauderet priuilegio, vt refert gl. pulchertima

cherrima in l. penult. D. ex quib. cauſ. maior. Primum eſt quòd ſit de genére militarium, & non ſit negociator. Negociator enim quantumcunq; ditiſſimus propter ſui ignobilitatem ad militiam aſpirare non debet, vt C. ne negociat. milit. L. vnica. lib. 12. & § ſiquis ruſticus. De pace tenen. Secundum correquiſitũ, quòd examinabantur an ad militare exercitium eſſet idoneus. L. 1. C. qui milit. non poſſ. Tertium quod per Deum omnipotentem ſolemne præſtabat iuramentum, mortem ſe reipublicæ cauſſa non euitare, ſed velle militare fideliter, & ante finitũ aſſumtæ militiæ tempus nullo euentu militiam eſſe deſerturum, nec quocunque imminente periculo à ſignis & vexillo diſcedere, vt Vegetius lib. 2. cap. 5. ſcribit. Quartò accingebatur per principem enſe, vt L. filiusfamilias. D. de teſtam. milit. Quintò ſtigma, id eſt nota publica, ſeu character nomen Imperatoris continens brachio eius dextro imprimebatur, L. 4. C. de fabricenſ. Sextò quod inſcribebatur in matricula militum, vbi nomina aliorum militum inſcribi conſueuerunt. Verſus:

In brachijs ſtigma, iurant, examen, & enſis,
Matricula faciunt militem abſque negotiatore.

Et huiuſmodi milites multa habent priuilegia in corpore legum eis conceſſa, dummodo tamen ſint in expeditione ſiue in caſtris. Milites verò noſtri temporis ex quo auctoritate ſuperioris poteſtatem habentis creantur & profeſſionem faciunt, ſunt veri milites. Sed licet eorum militia enſe cingatur, non eſt priuilegiata, cum in eorum creatione ea quæ promiſſa eſt ſolennitas, non ſeruetur: ſed vti debent communi iure, ſec. Bald. in l. penult. D. ex quib. cauſſ. maior. & Specul. Tit. de procur. §. 1. verſ. Item quod miles. Dicunt autem Cyn. in l. 1. C. de iur. & fac. ignor. milites noſtri temporis nullum aliud habere priuilegium, niſi quod in ingreſſu & potu alijs præferuntur. At plurimi ex militum grege reperiuntur hodie, nullo armorum exercitio vel ſtirpis etiam genere nobilitati: ſed otio potius & inertia torpentes ita ſe agunt, vt reſpublica in ſuis commodis eos nondum natos eſſe perſenſerit; eóque ſolùm quòd à Principe in camera forte
enſe

ense succincti sunt, honore gaudere militari volunt, quos ego non aliter tantipendo, quàm idiotam aliquem per Papalem bullam doctoratum. Traditum est etiam, longo esse tempore obseruatum à tempore quo gentes fluxerunt ad Christum, militarium enses priusquam accingerentur tironibus, solemni benedictione esse consecrandos: qua quidem benedictione contra hostes imprecabatur fortitudo, defensio religionis, orphanorũ & viduarum indefessa tutela. Sed ne vtinam hodie gladius militaris eorum quos præmisimus esset exterminator dauastans. Meminerint tamen huiusmodi milites, qui ex professionis debito reipublicæ saluti & tuitioni intendere debent, si artibus se implicant illicitis, militari dignitate se reddere indignos, neq; inter claros milites locum sibi vendicare: Deperditur enim propter demeritum, quod ob meritum militi est concessum. L. testamenta eorum. D. de testam. milit. de quo latè 23. q. 1. per tot. Adeò autem strenuè apud Romanos quondã militaris seruabatur censura, vt nullus infamis, nullus fœdifragus, aut vllo crimine irretitus permitteretur in exercitu & expeditione militare, sed statim à militia remissus militiæ cingulo soluebatur, vt habetur in L. 2. D. de his qui not. infam. Nam in castris siue expeditione militantes ex triplici causa remittebantur à militia: vna fuit honesta missio, vtpote quod finita fuit militia vel tempus ad quod assumtus erat. Altera fuit caussaria quæ ante finitum tempus ex caussa rationabili vel ob necessitatem, aut infirmitatem vel ætatem fiebat: ætas autem sexaginta annorum fuit iusta caussa remissionis, quod post illud tempus dicuntur minui vires, nec amplius sufficere possunt ad bellandum. Pauperes autem remissi, qui amplius belligerare non poterant, Romæ in tabernam meritoriam recipiebantur, vbi milites ob meritum vitæ stipendium ære publico recipiebant: in qua & tempore natalis Christi fons olei largissimo riuo per totam diem manare cœpit in loco, vbi nunc templum S. Mariæ trans Tiberim situm est. Tertia fuit ignominiosa missio, quæ fiebat ob crimen aliquod commissum, vel quòd alienauit arma contra præceptum ducis belli;

vel fidem rupit vel prodidit, vel his similia perpetrauit: & tunc imperator soluebat eum à iuramento, & clypeo perforato retrò ad dorsum pendente in signum infamiæ à militia dimittebat. Nonnunquam etiam ob enormia crimina vel desertam militiã illos exauctorabat, id est, militaribus insignijs ad instar clericalis degradationis denudabat. Induebatur enim miles omnibus suis insignijs & armis, publiceq; illi vnum post reliquum detrahebat imperator, sicq; militia solutus, castrisq; reiectus, priuatus erat & consortio & priuilegio militari, vt in c. degradatio. De pœn. lib. 6. & probatur in l. 2. §. miles. D. de infam. nec talis ignominiosè dimissus audebat posteà morari in vrbe vel alibi, vbi erat Imperator, vt d. L. 2. Multis autem priuilegijs huiusmodi milites gaudebant, præcipuè quoque in testamenti factione, quæ adeò libera eis fuit, vt dum alij nisi cum legali & magna solemnitate testari possent, milites tamen in conflictu & prælio eo tempore quo vitæ sortem dubiam habebant, testari quocunque modo potuerunt. Proinde si quis in vagina mucronis aut clypeo literis sanguine rutilantibus annotauerit, aut etiam in puluere scripserit gladio supremam voluntatem suam, stabilis permanebat. L. milites. C. de testam. milit. Sanè miles, postquam longo tempore militauerat, efficiebatur veteranus. Dicuntur autem veterani emeriti milites, qui viginti annis ad minus in legione vel in vexillatione militauerunt, vt d. §. ignominiæ. & not. in rubr. C. de veteran. lib. 12. Et illi maiora priuilegia præcedentibus à legibus concessa habent, dum tamen honestè viuant. Nam (inquit L. vetrani.) qui ex negligentia vitæ neque rus colunt, neque honestatem peragunt, sed latrocinijs sese dediderunt, omnibus veteranorũ priuilegijs exuti pœnis competentibus & prouinciarum rectoribus subijciantur, vt ibi. Est etiam præter armatam militiam iuxta sacratissimarum legum traditionem & altera militia inermis, cœlestis videlicet, quæ est sacerdotum: & literata qua sacri consistorij aduocati militare dicuntur. Dicit enim Imp. in L. aduocati. C. de aduoc. diuers. iudic. Aduocati qui ambigua dirimunt fata cau-

ta causarum, suæq; defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi quàm si prælijs atque vulneribus patriam parentesque saluarent. Nec enim solos militare credimus nostro Imperio illos, qui gladijs, clypeis & thoracibus vtuntur, sed etiam aduocatos qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam ac fortunam defendunt. Solet autem multis legum doctoribus in medium quæstio afferri, vtrum doctor militi, vel è contrario miles doctori sit præferendus? Et quidem ad vtramque partem auctoritates legum & rationes adducere conantur: tandem verò ab eis hæc conflatur conclusio, Quod in artibus militaribus miles doctori, in doctoreis verò doctor militi sit præferendus: sicut & Papam in spiritualibus Imperatori, hunc autem in sæcularibus Papæ solemus præferre, vt in c. cum ad verum. 11. q. 6. In artibus verò indifferentibus secundum communem maiorum nostrorum sententiam Doctorem præferimus militi, prout not. D. Ioh. de Plat. Instit. de milit. testam. §. 11. Magis enim Reipublicæ vtiles videntur leges quàm arma; cum leges tanquam digniora disponant, arma autem disposita exequantur, vt in procem. Instit. notari consueuit. Est singulariter notandum, quòd secundum leges imperatorias solùm milites Imperij dicuntur in dignitate constitui. Militia enim aliorum extra imperium Romanum non censetur de iure dignitas, licet de consuetudine seruetur contrarium. L. vnica. C. de equestri dignit. lib. 12. Et nunc de militibus pauca dixisse sat est. De aquila & armorum insignijs subsequenter videndum est.

De Aquila, & armorum insignijs.

CAPVT XIIII.

QVoniam Imperij nobilissimum armorũ insigne aquila semper fuit, eaque causa à Romanis antiquitus in vexilli signũ assumta, tradente Valerio lib. 1. quod Remo & Romulo in sacro

Auentino monte obseruantibus auspicia, aquilas ibidem viderunt: quod quidem auspicium eò quòd aquila omnium sit regina auium prosperrimi imperij signum esse voluerunt. Non tamen Romulus Romani parens imperij, illicò ab exordio ducebat aquilam in vexillo. Sed & fasciculos fœni pro vexillis milites habuerunt: Verùm crebescentibus bellis duces legionū in vexillo signū aquilæ primo detulerunt, vnde Lucanus ait: *Vt nota fulsère aquilæ Romanaq; campo.* Isidorus autē lib. 18. etymolog. dicit, aquilæ signum ideò legionum Romanarum fuisse vexillum, quod eadem auis dum Iuppiter aduersus Titanos proficisceretur in bellū, ei in auspicio apparuisse feratur, quā ille pro indicio victoriæ acceptam tutelamque suam auspicatus eam legioni signum sedit, quo factum est, vt deinceps militum signis committeretur, præcipuè quoq; ea causa quod in ordinando bello legio acies faciebat alares, & quælibet legio habebat vnum aquiliferum, id est, vnum præcipuum militem qui ferebat panderium cum signo aquilæ. Et est in hodiernum aquila coronata Imperatorum armis inuiolatum insigne consecratum, designans præeminentiam quam habet in mundo Cæsarea sublimitas. Vnde & in Ezechiele loquens propheta de Nabuchodonosor Orientis monarcha; *Aquila*, inquit, *grandis magnarū alarum, longo membrorum ductu, plena plumis venit ad Libanum, & tulit medullam cedri &c.* Principalia autem signa legionum in bellis antiquitus fuerunt aquilæ, dracones, & pilæ, cuius meminit Lucanus dicens: *Signa pares aquilas & pila immania pilis.* Draconum signa ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata sunt. Dehinc à Græcis & Romanis in bello gestari cœperunt. Pilam insigne constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subiectas, vt exinde figuram orbis ostenderet. Porrò armorum vsus ex eo primùm adinuentus est, vt illis imperium, & quodlibet regnum, prouinciæ, principatus, ciuitates, & familiæ terrarū cognoscerentur. Quæritur autem an cuilibet sua auctoritate sibi arma & insignia assumere liceat. Bart. de Saxo. in tract. de insign. & arm. putat, Quod liceat. Sicut enim nomina adinuenta sunt ad cogno-

ad cognoscendum homines, vt C. de ingen. & manumiss. L. ad recognoscendum: ita etiam ista insignia inuenta sunt, L. statuimus. D. de re milit. Sed talia nomina cuilibet licet imponere sibi ad placitum. d. L. ad recogn. ergo idem videtur dicendum de armis. Posset autem suscitari aliquid, quod tunc releuaret huiusmodi arma habere ex concessione Principis, vt vult idem Bart. primò militem, propter maiorem nobilitatem, vt dicimus in testamento facto corā principe, vt L. omnium. C. de testam. Secundò quòd non potest aliquis ab alio prohiberi illa arma deferre. L. 2. C. de iurisd. & l. minor, in princ. D. de minor. Tertiò, si duo assumerent eadem arma & insignia, nec de prioritate nec posterioritate appareret, præfertur is qui à principe habuit, vt L. si duos. D. de excus. tutor. Quartò, quia si essent in exercitu vel alio loco, debent præcedere arma quæ á principe sunt concessa. L. fin. D. de albo scrib. & c. per tuas. Ex. de maior. & obœd. Et prædicta vera cæteris paribus, ita quod illi eadem deferentes arma sint æquales dignitate. Sed emergit quæstio: Vnus portat insignia seu certa arma, alius vult portare eadem, an ei hoc liceat, vel aliter prohiberi possit? Ad quod respondendũ cum distinctione: si vnus assumit arma quæ alius portauit ab antiquo, & illius non interest, nec ex hoc aliquo modo læditur verisimiliter, Exempli gratia, quidam Teutonicus tempore indulgentiarum venit Romam, & ibi reperit Italicum deferentem arma & insignia suorum antiquorum: certè de hoc conqueri non poterit: propter distantiam enim locorum alter alterius armis grauari vel lædi non potest. Quando autem alterius multum interest, vt si homo odio plenus, cuius vitæ insidiantur multi, vult assumere arma hominis pacifici: & tunc non dubium est, quin prohibere possit: idem si ex hoc honor & pudor primi aliquo modo læderetur. arg. L. iudices. C. de iudic. Inter otiosos & de nobilitate disputantes etiam quandoque dubitatur, quis color in armis sit nobilior altero. Et quamuis vulgarium secundum diuersas considerationes varia in hoc sit sententia, dicit tamen Bart. quod considerato colore in se ratione suæ proprieta-

tis, color aureus dicitur nobilium, quod per eum repræsentatur lux. Constat autem nil luce esse nobilius. l. inter claras. C. de sum. Trinit. & in sacra scriptura pro excellentiori decore designatur Sol, vt ibi: Fulgebunt sicut Sol iusti. Math.18. & alibi: resplenduit facies eius sicut Sol: per quod nobilitas illius coloris apparet. Secundus color post eum nobilior est purpureus siue rubeus, qui figurat ignem, qui est super cætera elementa nobilius elementum, & est corpus post Solem secundò luminosum. Post hunc colorem est azureus siue albus: per eum enim significatur aër, qui est corpus transparens & diaphonum & maximè receptiuum lucis, & est sequens elementum post ignem, & est nobilius aliis. Vnde prædicti colores per id quod repræsentant, dicuntur nobiliores: & cum lux sit nobilissima, ideò contrarium sunt tenebræ, & idcirco in coloribus, secundum se saltem, color niger est infimus. Colores autem medij nobiliores sunt, vel minus nobiles, secundum quod appropinquant plus albedini vel nigredini, & istud videtur esse de mente Aristotelis in lib. de sensu & sensato. In figuris autem animalium & aliarum rerum, cum ars imitatur naturam, illa insignia nobiliora sunt, quæ magis appropinquāt naturæ & proprietati rei quam designant, arg. L. si pater. D. de oper. libert.

De imperialis curiæ celebratione, & Cæsareæ maiestatis solemnitate.

CAPVT XV.

IMperatoria maiestas in ostensionem altæ suæ magnificentiæ nonnunquam cum Principibus ac proceribus imperij sui solemnem consueuit celebrare curiam, quæ quidem magnifica curia prima vice in nobili Nurenbergensi oppido Babenpurgensis diœceseos, iuxta Karoli quarti constitutionem celebranda est. Die autem qua solemnis huiusmodi Imperialis curia fuerit peragenda, venire debent circa horam primam principes electores ecclesiastici & sæculares ad palatium imperiale siue regale:

gale:

gale: & Imperator ipse vel Rex omnibus insignijs imperialibus induetur, & ascensis equis omnes comitantur Imperatorem ad locum sessionis aptatæ, & ibi quilibet eorum in ordine & modo suo astabit. Archicancellarius autē, in cuius archicancellariatu curia celebratur, super baculo argenteo omnia sigilla & typaria imperialia defert. Sæculares verò principes electores sceptrū, pomum, & ensem, secundū quod infra exprimetur, portabunt. Imperatrix etiam vel regina cum suis augustalibus amicta insignijs post Imperatorem Romanum atque etiam post regem Bohemiæ, qui Imperatorem immediatè subsequitur, competentis spacij interuallo suis associata proceribus suisq; comitata virginibus ad locum sessionis procedit. Imperatore autem ipso in solio imperiali sedente dux Saxoniæ officium suum agit hoc modo. Ponetur enim ante ædificium sessionis imperialis aceruus auenæ tantæ altitudinis, quòd pertingat ad pectus vel antilenam equi, super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum mensuramq; argenteam, quæ simul faciant 12. marchas argenti, & sedens super equo primò mensuram eandem de auena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem: quo facto figendo baculum in auenam recedit, & vice marchalcus, puta de Bappenheim accedens, vel eo absente marschalcus curiæ alterius auenam ipsam distribuet. Ingresso verò imperatore ad mensam, principes electores ecclesiastici videlicet archiepiscopi stantes ante mensam cum cæteris prælatis benedicent eandē, & benedictione completa ijdem archiepiscopi omnes, si adsunt, alioquin duo vel vnus sigilla vel typaria imperialia à cancellario curiæ recipient, eoque in cuius archicancellariatu curiam ipsam celebrari contigerit, in medio procedente & alijs duobus ex alterutro latere sibi iunctis, sigilla & typaria ipsa omnes quidem baculum in quo suspensa fuerint, manibus contingentes ea portabunt, & ante Imperatorem reuerenter in mensam deponent: Imperator verò eadem ipsis statim restituet, & in cuius archicancellariatu hoc fuerit, (vt præfertur) is maius sigillum collo appensum vsque in finem mensæ portabit, &

bit, & deinceps, donec ad hospitium perueniat ab Imperiali curia equitando. Baculus verò de quo præmittitur, esse debet argenteus 12. marcas argenti habens in pondere, cuius tàm pretij quàm argenti partem tertiam vnusquisque archiepiscoporum soluet: & baculus ipse protinus vnà cum sigillis & typarijs debet cancellario imperialis curiæ assignari in vsus suos beneplacitos cõuertendus. Deinde marchio Brandeburgensis archicamerarius accedit super equo habens argenteas pelues cũ aqua in manibus ponderis 12. marcarũ, & pulchrum manitergiũ,& descendens ab equo dabit aquã domino Imperatori manibus abluendis. Comes Palatinus Rheni similiter super equo habens in manibus quatuor scutellas argenteas impletas, quarũ quælibet debet habere tres marchas, in statera, & descendes de equo portabit & ponet ante Imperatorem in mensa. Post hoc rex Bohemię archipincerna venire debet sedens similiter in equo portans in manibus cupam siue scyphum argenteum ponderis 12. marcharum coopertum, vino & aqua permixtis impletum, & descendens ab equo scyphũ ipsum Imperatori porriget ad bibendum. Peractis autem huiusmodi officijs ille de Falkenstein subcamerarius equum & pelues marchionis Brandenburgensis accipiat: post eum magister coquinæ de Nortenberg equum & scutellas comitis Palatini: vicepincerna de Limpurg equum & scyphum regis Bohemię; vicemarschalcus de Bappenheim equum, baculum & mensuram prædictam ducis Saxoniæ. Imperialis insuper mensa sic debet aptari, vt vltra alias aulæ tabulas seu mensas in altitudine sex pedum sit altiùs eleuata: in qua præter Imperatorem Romanorum, duntaxat die solemnis curiæ nemo penitus collocetur. Sedes verò & mensa Imperatricis parabitur à latere in aula, ita quod mensa ipsa tribus pedibus imperiali mensa sit bassior, & totidem pedibus eminentior supra sedes principum electorum, qui principes inter se in vna eademque altitudine sedes habebunt, & mensas infra sessionem imperialem: mensæ septem principibus electoribus ecclesiasticis & sæcularibus præparentur, tres videlicet à dextris, & tres à sinistris, & septima di-

rectè

rectè versus faciem Imperatoris, ita quòd nullus alius, cuiuscunque dignitatis vel status existat, sedeat inter ipsos ad mensas eorundem. Est etiam sciendum, quod quotiescunq; congregatio Imperatoris & principum electorum prædictorum fit, Imperatore deambulante insignia ante faciem eius portari contingit, archiepiscopus Treuirensis in directa diametrali linea ante Imperatorem transibit, illiq; soli medij inter eos ambulent, quos imperialia contigerit insignia deportare. Dux autem Saxoniæ imperialem ensem deferens Imperatorem immediatè præcedat, & inter illum & archiepiscopum Treuerensem medius habeatur. Comes verò Palatinus pomum imperiale portans à latere dextro, & Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens à sinistro latere ipsius ducis Saxoniæ linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiæ Imperatorem ipsum immediatè nullo interueniente sequatur. Prout hæc in Karoli quarti Augusti aurea Bulla latius declarata reperiuntur.

De his quæ ad Imperatoris spectant officium, & defectus Imperij causis.

CAPVT XVI.

IMperialis celsitudinis solertia etsi curiæ totius reipublicæ ex officij debito intendere debeat, potissimum tamen ad colendam iustitiam, tuendam relligionem & pacem vbicunq; per latissimos Imperij terminos nutriendam die noctuq; debet inuigilare. Ad hoc enim solum occupat apicem terrenæ dignitatis, hac ratione temporalem gerit gladium, ad ipsum à summo optimoque Deo & eius vicario totius militantis ecclesiæ & aduocatus & protector constitutus. Hinc illa gloriosissima & digna principe Iustiniani vox insonuit in Auth. vt iudic. sine quo. suffrag. Collat. 4. sic ibi exordiens: *Omnes nobis dies ac noctes contingit cum omni lucubratione & cogitatione degere, semper volentibus, vt aliquid vtile & placens Deo à nobis præbeatur, & non in vano vigilias ducimus, sed in huiusmodi causis expendimus consilia pernoctantes, & no-*

ctibus sub æqualitate dierum vtentes, vt nostri subiecti sub omni quiete consistant, &c. Principes enim, vt Isaias exclamat, ea quæ sunt digna principibus, cogitare debent. At de prima parte, videlicet iustitia colenda, parumper dicendum est. Ad Imperatorem & alium quemcunq; principem sæculi spectat facere iudicium & iustitiam, pauperemq; de manu calumniantis redimere, impios de terra perdere, homicidas & raptores damnare, remq; publicam perturbantes non sinere viuere, vt 33. q. 5. c. regum. & c. sunt quidam. Idq; non solùm diuini & humani iuris, sed & gentilium libri continuo boatu perclangunt. Remota namq; iustitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia? vt Augustinus 4. De ciuit. Dei inquit. Gentilis denique philosophus Aristoteles 5. Ethicorum præclarissimam virtutum illam esse affirmat, ita vt neq; lucifer, neq; vesperus adeò sit admirabilis. Quæ vtiq; si culta foret & coleretur, primum iam & augustum imperium adhuc latum & potens haberemus. Sed quoniam cecidit virtus, & Imperij vires simul corruerunt. Huius ego rei nullam aliam caussam arbitror, quàm quòd Platonis sententia contemnitur, qua philosophiam Boëtius alloquitur 1. De consolat. dicens, *Beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.* Nunc autem equestre indoctumque consilium, pacis raro amicum, senatus Principum regit: doctissimorum autem virorum sententia reipublicæ salutaris, si quando limen concionis ingreditur, aut omninò contemnitur, aut stolida irridetur. Obiicitur namq; illi, non codicibus sed asseribus hauriri oportere prudentiam. Sed væ terræ, vbi asseres & priuatæ cuiusuis opiniones sanctissimis & æquissimis maiorum præualent institutis. Est enim verax iudicium dissoluti incompositique regiminis, quod vix aut nunquam stabile est, aut optata pace gaudere potest. Quid dicam de legum æquissimarum iurisque scripti obseruatione, quæ ferè nulla est, sed iure incerto viuitur, & in multitudine illiterata, quod vnicuique sui arbitrij discretione visum est, id in iudiciis vim legum obtinere volunt. Quod quàm periculosum inconstansq; sit iudicium,

iudicium, vel ex Ouidij auctoritate dinosci potest, dicentis: *Pectoribus mores tot sunt quot in orbe figuræ.* Quot enim sunt capita, tot sententiæ esse putantur. de consecr. Dist. 4. sicut in sacramentis. L. item si vnus. §. principaliter. D. de arbitr. Hinc eximius Ambrosius vir diuina pariter & humana sapientia pręcipuè pollens, supra psalm. Beati immaculati, & transsumtiue in c. iudices. 3. q. 8. ait, *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domestice propriæ voluntatis, sed iuxta iura & leges pronunciat, nihil paratum & meditatum de domo defert: sed sicut audit & iudicat, & sicut se habet natura, decenter obsequitur legibus, non aduersatur, examinat causæ merita, non mutat.* Et post pauca: *Qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est.* hæc Ambrosius. & sapientissimus Salomon; *Fili*, ait, *ne innitaris prudentiæ tuæ.* c. ne interim. De constit. Neque vlla maior mihi abusio esse videtur, quàm exteras nationes sacratissimas leges colere, nosque qui nostris in laribus legum conditorem fouemus, illas minus curare, & per eos qui rus colunt, ius in prouincijs dictari, qui ob ignauiam à iuris noticia legibus excusantur. Proculdubio non sine magna ratione ille triumphantissimus imperator Iustinianus; non minus legibus quàm armis gloriatus est, dum in prooemio Institutorum sic dicit: *Imperatoriam maiestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus decet esse armatam, vt vtrumq; tempus & bellorũ & pacis rectè possit gubernari.* Quæ duo, videlicet leges & arma Romanos totius orbis dominos effecerunt, vt idem Imp. C. de nouo Cod. compon. attestatur. Vnum enim alterius auxilio semper eguit, in omnique regno benè instituto necesse est arma per leges dirigi; leges per arma tueri: quod vbi non fit, impossibile est rempublicam diu posse sustineri, quod melius experimento didicimus, quàm Codicibus legamus. Imò vt Ciceroni 1. de offic. placet, plerumque magis leges quàm arma sunt reipublicæ necessaria. Pausanias enim & Lysander Lacedæmoniorum principes, quamuis rebus bello gestis imperium eorum dilatasse putentur, minima tamen parte Lycurgi legibus sunt comparandi: neque Q. Catulus vir senatorius Cn. Pompeio du-

ci bellicis laudibus abundanti, neque Publ. Nasica Africano bellicosissimo viro in commoditatibus reipublicæ cedere videbantur. Vtq; in lib. de senectute, eiusdē Ciceronis præclara extat sententia, *Non viribus, aut velocitate, aut celeritate corporū res magna geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia: malleq; se*, inquit, *habere vires ingenij Pythagoræ, quàm corporis Milonis. Cedant ergò arma togæ, concedat laurea linguæ.* Quàm autē maximè nunc arma iura defensent, quàm etiam obœdienter legibus arma obsequantur, non solùm viduarū pupillorumq; lamentū, sed & grauissimorū virorum ingens & antiqua demonstrat querela. Eò quippe res (proh dolor) redacta est, vt non modò vi oppressus vix iudicem, ad quem recurrat, inueniat: sed & dum post longos laborum circuitus vix tandem iudicatum obtinere contigerit, deficit tamen plerumque, qui res iudicatas executioni demandare aut velit aut possit. Hinc iam patria continuis diffidationibus exagitatur: hinc iam tela volant, furibundæ sparguntur faces: hinc armorum arcuum sonat fragor, & iniuriosus mucro omnia & omnia prosternit. Cuius sanè perniciei illos solùm culpam esse diximus, quibus ad vindictam malorum, laudem verò bonorum ensem deferre concessum est: vel verius forsitan nostris culpis demeritisque exigentibus fortis & iustus Deus illa permittit, & principes iuxta mores nostros nobis concedit. Vt enim inquit Hieronymus in c. audacter. 8. q. 1. non semper princeps populi & iudex Ecclesiæ per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur maligna in conspectu Dei, dantur principes nobis secundum cor nostrum. Dicit namque Dominus in scripturis: *Fecerunt sibi regem, & non per me principem.* Et hoc dictum videtur de Saule illo, quem etsi dominus elegerit & regem fieri iusserit, non tamen secundum Dei voluntatem, sed populi petentis meritum fuit electus.

Quòd Cæsareus animus ad diuini cultus augmentum semper debet esse intentus.

CAPVT XVII.

AD diuinum cultum Imperator, reges,& principes toto conatu & sollicitudine tanquam ad finem debitum studere debent. Ob quod ille magnificus Salomon ait: *Deum time, & mandata eius obserua*, hoc est, *omnis homo.* Quamuis autem iste finis omnibus sit necessarius, regi tamen potissimum propter tria, vt quod homo, quod dominus, & quod rex. Primò vt homo, quod ille singulariter præ cæteris creaturis factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Hinc Apostolus in actis Apost. dictum Arati poëtæ introducens ait: *Nos genus Dei sumus.* Ex hac itaque ratione debitores sumus omnes Deo in generali, ad eiusque diuinam reuerentiam astringimur omnes: præcipuè tamen principes, in quantū plus participant de nobilitate humanæ naturæ ratione sui generis, vt probat philosophus in sua Rhetorica. Qua profectò ratione motus est Cæsar Augustus, qui diuinos sibi honores à populo Romano exhiberi passus non est, sed à Sibylla Tiburtina edoctus illos ad suum referri voluit creatorem. Secundò competit regi diuinum tueri cultum, vt Domino: quòd non est potestas nisi à Deo, vt Apostolus scribit ad Rom. & qui vices eius gerit in terris: totaq; virtus imperij à Deo dependet, influitque in regem vt ministrum. Vnde quòd Nabuchodonosor magnus ille Orientis monarcha suum dominiū à Deo non recognouit defluere, secundum imaginatiuam animæ suæ potentiam in bestiā translatus est, vt scribitur 4. c. *Septem enim*, ait Daniel, *tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, det illud.* Quam verò deuotionem gloriosus ille legum restaurator Iustinianus Imp. habuerit ad Deum, his verbis declaratur. Ait enim in L. 1. C. de vet. iur. enucl. *Deo auctore nostrum gubernante Impe-*

rium, quod nobis à cælesti est maiestate traditum, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, statumq; reipubl. sustinemus: & neq; armis confidimus, neq; nostris militibus, neq; bellorum ducibus, vel nostro ingenio: sed omnem spem ad solam referimus summæ prouidentiam Trinitatis; vnde & mundi totius elementa processerunt, & eorum dispositio in orbem terrarum producta est. Et alibi ait: *Cura nobis diligens est per omnia superni numinis religionem tueri.* L. vnica. C. nem. lic. sign. Saluat. & in L. Manichæos. C. de hæret. Quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Tertiò Imperator non modò vt homo, aut dominus, sed etiam vt rex ad diuinum astringitur cultum, quod oleo sacro iungitur: vnde & reges Israhelitici populi, *Christi Domini* propter excellentiã virtutis vocabantur: & quod per hanc iunctionem, vt tangit Augustin. de ciuit. Dei, figurabatur futurus rex & sacerdos, iuxta Danielis prophetiam: *Cum venerit sanctus sanctorum, cessabit vnctio vestra.* In quantum ergo reges figuram gerunt vnctione sua illius, qui est rex regum & Dominus dominantium, debitores sunt reges ad imitandum ipsum, vt sit debita proportio figuræ ad figuratum. Necesse itaq; est regi, & omni principi, revereri Deum, suosque sacerdotes propter sui regiminis conseruationem. Romani namque rerum domini non alia ratione suum imperiũ prosperatum esse arbitrati sunt, quàm quod Deorum suorum culturã tenerrimè obseruabant, vt multis exemplis recitat Valer. lib. 1. cap. de relig. neglec. Ob quam causam Romulus primus vrbis conditor in primordio sui dominij fabricauit asylum, quod templum Pacis nominabat, multis amplificans gratijs; pro cuius numinis reuerentia omnem sceleratum ad ipsum confugientem reddebat immunem. Si deniq; veteris & noui testamenti reuoluimus codicem, reperiemus omnes reges ad diuinam intentos reuerentiam, felici cursu consummasse dominiũ: & in contrarium agentes miserum exitum consecutos, vt nempe antiquis historijs traditum est. In qualibet monarchia ab exordio sæculi tria se inuicem concomitata sunt, diuinus cultus, sapientia scholastica, & potentia sæcularis. Quæ quidem omnia in re-

in rege Salomone suis ex meritis sunt consummata. Per diuinam enim reuerentiam cum descendisset in Ebron orationis locum, assumtus in regem, consecutus est sapientiam: & ex vtroq; super vniuersos reges sui temporis magnificatus est. Postquam verò ab optimi Dei cultu recessit, felicitas omnis quæ se prius in eum commiserat,* ablata, gloriaque eius regalis miserè prostrata. * Mendeti.

Quòd Imperatoris maximè est in orbe terrarum conseruare pacem, & stratas publicas tenere securas.

CAPVT XVIII.

DEcorare pacem, remque publicam perturbantes compescere Imperatoris & cuiusque principis maximè proprium esse debet; idque magnopere curare, vt stratas viatores habeant securas. Viæ namque publicæ communes sunt omnibus non modò legibus gentium, sed & iure quodam naturæ, propter quod prohibentur à nemine occupari, nec vllo temporis cursu præscribi possunt. Vnde in lib. Numer. via publica, *Regia via* apellatur. Qua ex re princeps & quiuis alius dominus territorium habens tenetur de robaria & deprædatione viatorum intra suum territorium facta, si fuit sciens & potuit prohibere, secundum omnes vtriusq; iuris Doctores. Non enim debet pati, vt maleficium committatur super suo, vt not. in l. 1. C. de fal. mone. & in c. 1. de restit. spol. Secus si prohibere non potuit, l. 1. §. is autem. D. si famil. furt. fecis. dic. & idem S. Thomas 11. 2. q. 61. artic. 7. Principes enim tenentur custodire iustitiam in terra; vnde si per eorum defectus latrones increscant, ad restitutionẽ tenentur: quòd reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, vt iustitiam & pacem conseruent in terra. Et quo magis principes ad hanc securitatẽ promouendam promtiores existerent, legibus permissũ est eis, Imperatoris tamen auctoritate, à transeuntibus pedagia & telonia exigere.

exigere. Cedit prætereà non modò in laudem principis, sed in vtilitatem quoq; maximam ipsius redundat vias publicas tenere securas, propter confluxum hominum ac mercimoniorum, per quæ dominia plurimum ditari solent. Potissimum namq; in vrbe aucta fuit respublica propter vias quas tenebant expeditas, & quo magis id fieri posset, sub simulatione callida nominibus Kalendarij permutatis nundinas in vrbe celebrarunt, quatenus latrones ignorarent, vt Computistæ scribunt. Rursus ex hoc diuinus frequentiùs augetur cultus. quantò enim liberior est aditus viarum ad limina sanctorum, tantò sunt promtiores homines ad reuerentiam diuinam. Vnde & præcipua fuit cura Romanis stratas faciendi securas ob idolorum cultum, quem Roma (vt in præced. cap. dixi) integerrima veneratione zelabat, neque alia ratione tàm seuerè grassabantur in Christianos primitiuos, quàm quòd Dijs eorum maximoque Ioui obsequium præstare se putabant. Et diuina scriptura in Esdra commemorat, frequentiam templi impeditam fuisse propter hostiles incursus. Principes quoque maximè tenentur ad pacem seruandam, vt vtriusque iuris pagina clara voce proclamat, 23. q. 1. c. noli. De treuga & pace, per tot. Item Authent. de pace tenen. Christus enim in monte ait, *Pacem meam do vobis*, Math. 10. c. nisi bella. 23. q. 1. Non est ergo heres eius qui pacem eius testamento relictam non habet. Et qui contra pacem ecclesiæ faciunt, si dignitatem aut cingulũ habent, nudentur eis, dicit text. 24. q. 1. qui contra pacem. Solent autem per gl. in c. ad apostolicæ. De re iudic. lib. 6. sex caussæ in medium afferri, propter quas non est pax inter homines. Prima, quod non puniantur maleficia. Eccles. 4. De offic. leg. c. 1. lib. 6. 23. q. 2. Dominus. Secunda, abundantia temporalium, Genes. 14. facta est rixa inter pastores Abraham & Loth. Tertia, quia non occupantur homines in contrarijs, ad Ephes. 5. non est colluctatio aduersus carnem. Quarta, quia non consideramus damna guerræ, in qua diuitias, corpus & animas perdimus. Quinta, quod non præmeditamur dubium euentũ belli. Sexta caussa, quod non seruamus

mus

mus præcepta Dei, nec decimas soluimus, quæ debentur Deo & eius ministris in signum vniuersalis dominij, sicut & tributum Cæsari. 16. q. 1. c. reuertim. Et ergo, quod non capit Christus, rapit fiscus. 16. q. 7. maiores. Sed audiant principes terræ horrendũ dictum Isidori lib. 3. de sum. bono. & habetur 33. q. 5. c. principes, vbi dicit: *Cognoscant principes sæculi, se debere reddituros rationem propter Ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt.* Nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ propter fideles principes, siue soluatur, ille rationem ab eis exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit committendã. Sanè gloriosus Deus, (testante in 18. de Ciuit. Dei, Aur. Augustino) hac præcipue causa Romanis deferebat imperium, vt per eos qui virtutibus & iustitiæ cultu cæteras gentes anteibant, humanum genus in vnam societatem reipublicæ legumq; perductum longè latéque pacaret. Minimè profectò mirandum, si illud potentissimum quondam & inuictum Imperium, exiguum hodie & penè contritum videamus. Virtute enim, prudentia, iustitia, moribus, disciplina, & rerum omnium moderatione, tum rebus bello & pace egregiè gestis felix illud & regium imperium à principio adquisitum & amplificatum est. Quod quidem solum his artibus retineri potest, quibus ab initio partum est, testante in prologo Catilinarij Sallustio. Sed decrescente imperio iustitiam, iura, leges, sapientiam, cæterasque virtutes deseruerunt illud gentes, pedetentim iugũ collo soluentes. Adeoque in angustum redacti sunt Imperij fines, vt cum olim totum terrarum orbem, præter modicas Orientis partes, possideret alma corona; nunc cunctas maris terræquæ oras præter paucas regiones Occidentis amisisse cernatur: vixque proh dolor prioris imperij vmbra nobis figuraque relicta sit. At illustres Germaniæ principes vos mea oratione alloquor: me etenim nimio ad rempublicam imperij affectu impellente cohibere non possum. Ingenti accuratione, magno certè & præclaro laudis cumulo exercitioque virtutum regnum mundi maiores vestri meruerunt. Illud adhuc latè patens & amplissimum quidem in ve-

ſtram dederunt fidem: ſed veſtra negligentia, veſtra deſidia, & (ſi dicere licet) diſcordia veſtra in eum ſtatum, quem hodie madentibus cernimus oculis, redactum. Quam dabitis rationem altiſſimo? Nunquam hac diſſimulatione, ô Imperator, verè te Auguſtum denominabis. Omnes enim in te oculi reſpiciunt: inferiores per te ſe excuſant, ad quem præcipuè hanc rem pertinere exiſtimant: qui caput es in orbe Chriſtiano conſtitutus. Exurge igitur iam tandem, qui dormis. memento ſub tua fide inclitum imperium, Germaniæ decus, mundique coronam ſubſiſtere. Leua in circuitum oculos tuos, & pulcherrimo optimoque imperio varijs iamdudum attrito languoribus pia ope ſubueni. Accendant te exempla maiorum tuorum. Germaniæ in te laus antiqua refloreat. Erige ergo, ô erige in potentia, quam adhuc certè maximam habes, brachium virtutis tuæ: ac enſem à cœleſti tibi maieſtate traditum longe latéque vibrare ſatage, vt Virgilianum illud denuò in te impleri ſperemus: *Super Garamantas & Indos proferet imperium.* & quod in Iulij quoq; Cæſaris laudem editum eſt: *Imperium Oceano, famã qui terminat aſtris.* Diceres forte, princeps ſereniſſime; Superioribus Auguſtis potentiſſimum erat imperium, ſuffragabatur eis ærarium opulentiſſimum, quo id facilius, quod hortaris, perficere potuerunt. Nunc verò imperij partes mihi omnes in circuitu diripuerunt, aquilã meam pennis deplumarunt, diminuta eſt potentia, virtus exhauſta, exiguum eſt ærarium. At ne maxime regum pater, hæc te frangat ſententia, precor. Ideò enim illi & latiſſimum & auro refertum imperium habuerunt, quòd accuratam his diligentiam impenderunt, noctes nonnunquã tranſigebant inſomnes, vt ſubiectorum commoda promouerent. Quòd his ceſſatum eſt, felicis ſimul proſperitatis deficit augmentum. Salomon regum Iſrahel glorioſiſſimus non opulentiam, non potentiam, ſed ſolùm vt dignè ſubiectos regere poſſet, optauit ſapientiam: qua adepta cætera omnia felici acceſſione in eum congeſta ſunt, ita vt Regũ omnium, qui ante ipſum fuerant, in Iſrahel, magnificentiſſimus diceretur & eſſet. Cato denique Romanæ prudentiæ

dentiæ clarissimum lumen, augustum Senatum his verbis quondam alloquens, *Nolite*, inquit, *Patres existimare, maiores nostros armis rempublicā ex parua magnam fecisse: Sed quia eis fuit domi industria, foris iustum imperium, in consulendo animus liber, nec delicto, nec libidini obnoxius.* Hanc tu optime Princeps, sententiam crebriùs rimari velis, virtuteque duce omnia aggredi: qua (Plauto teste vt in Amphitruone canit) salus, vita, resq; & patria tutantur, seruantur. Virtus enim omnia in se habet, omnia bona assunt illi, quem penes est virtus. Quod si feceris, Aeneadum illud Virgiliano carmine tibi polliceri poteris. *In freta dum fluvij current, dum montibus vmbræ, Syluasq; feræ lustrabunt, connexa poli dum sidera pingent; semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.*

De forma Rom. Imperatorem suscipiendi, cum vrbem aliquam duxerit ingrediendam.

CAPVT XIX.

CVm Romanorum rex vel imperator vrbem aliquam ingressurus est, totus clerus processionaliter sibi occurrere debet, quod etiam vniuersitas doctorum & scholarium, si aliqua ibidem fuerit, similiter facere non omittat. Omnes campanæ pulsari debent, & cantabitur introitus missæ de epiphania: *Ecce adueniet dominator dominus, & regnū in manu eius, & potestas & imperium.* cum versu; *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio regis. Gloria patri, sicut erat in principio.* Et repetitur introitus; quo finito cantabitur responsorium: *Ecce mitto angelum meum, qui præcedat te & custodiat semper. Obseruaui & audiui vocem tuam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te angelus.* Subiungendus est versus cum repetitione. Cum autem ventum fuerit ad ecclesiam, sit sedes parata ante maius altare pro rege ornata, & dicatur: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster. &c.* Vers. *Domine saluum fac regem.* Vers. *mitte*

ei auxilium de sancto. Vers. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* Vers. *nihil proficiat inimicus in eo. Domine exaudi orationem. Dominus vobiscum. Oremus: Deus qui ad prædicandum æterni regis euangelium Christianum imperium præparasti, prætende famulo tuo Imperatori nostro Friderico arma cælestia, vt pax ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum, per dominum nostrum, &c.* vel alia aliqua collecta legetur, multæ namque pro Rege & Imperatore reperiuntur descriptæ.

De Romani imperij exitu, & eius finali consummatione.

CAPVT XX.

AD huius nunc opusculi finem festinandum est, scripturisq; prodentibus Imperij exitus describendus, ne longo sermone sim legentibus fastidiosus. Romanum imperium, quod generis humani gubernaculum à summo rerum conditore prouisum esse, quodque à sui exordio duorum millium annorum spatio centum & quadragintaquinque in præsentem vsque ad annum steterat, à natiuitate Christi Dei nostri videlicet millesimum, quadringentesimum & sexagesimum, quo præsenti paginæ initium dedi & finem: quamuis per varias fortunas currendo, successiuo tempore viribus & augmento decreuerit, tendatque in occasum, inuictum tamen semper permansit, durabitque in finem mundi. Neq; auferetur sceptrum à Christiano imperio, donec venturus sit acerrimus hostis fidei nostræ nostræ Antichristus. Ait enim Apostolus 2. ad Ephes. *Nisi venerit discessio primùm, non revelabitur ille filius perditionis.* Hanc discessionem S. Methodius martyr & episcopus in libro, quem edidit De consummatione sæculi, de fine exponit Imperij. Omnes quippe gentes subtrahent se in fine temporum ab obœdientia Romani Imperij. Inquit enim gl. Daniel. 2: *Sicut à principio nihil fortius fuit Romano imperio, sic in fine nil debilius inuenietur. Nam quamdiu ei auscultabunt gentes, Antichristus non veniet. Esset enim tunc qui resisteret illi, ne confluxus ad eum fieret illarum.* Quàm autem pro-

tem prope ſit finis mundi & Imperij, ex hodierna obœdientia prouinciarum dinoſci poterit. Memoratus quoq; glorioſus Apoſtolus, qui arcana Dei manifeſtiſſimè nouit, Theſſalonicenſibus in eadem 2. epiſt. ſcribit: *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui.* Super verbis iſtis dicit gl. quòd apoſtolus in his verbis, *Qui tenet, teneat*, Romanum imperiū deſignat, quo deſtructo veniet Antichriſtus. Vnde Romanus imperator, qui mundū tenet de rege ad regem, ſucceſsiuè imperabit, donec Romanū imperium auferatur de medio. Namque aufferri, eſt à communi hominum contactu ſuſtolli. Vnde Auguſtin. in 20. de ciuit. Dei, ſuper eiſdem verbis Apoſtoli, *Non abſurde*, inquit, *de Romano imperio creditur dictum, tanquam ſit dictum: Qui modo imperat, imperet, donec de medio tollatur: & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Antichriſtum ſignificari nemo ambigit.* Vt autem S. Methodius in lib. præalleg. dicit; vltimus Romanorum Auguſtus cum inſtabit mundi & imperij finis, diuino agitatus ſpiritu veniet in Ieruſalem, ponetq; ſanctam crucem ad eum quo ſteterat, locum, quando in ea vita mundi, Rex regum & dominus dominantium pependit: & procedet imperialibus ornatus inſignijs, ponetque coronam de capite ſuo ſuper ſanctam crucem, tradens Deo regnum & Imperium: leuabiturq; & tunc crux cum corona in cœlum, & inclytus Imperator ibidem expirabit. Scriptum namque eſt, *Hoc ſignum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum veniet.* Poſtquam verò crux cum corona hoc modo in aſtra eſt recepta, Romanumque ſepultum imperium, reuelabitur iniquus ille, perditionis filius. Tantaque tunc erit humanæ miſeriæ calamitas, tantaq; in vniuerſo mundo perſecutionis procella ſecutura eſt, quòd niſi dies huiuſmodi tribulationis, Marco teſte & Mathæo, fuiſſent abbreuiati, non fieret ſalua omnis caro. Omnia namq; priora tempora, aurea ſæcula temporaque pacis fuiſſe mortale hominum genus æſtimaturum eſt. teſtante in pſalmo regio Propheta: *Orietur in diebus domini iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna*, id eſt Romanum imperium, quod per Lunam con-

gruè designatur. Hoc itaq; turbulenro tempore consummabitur terrena monarchia gentium, emigrabit gloria; & maximum triumphantissimumque imperium, quod tot mira terra marique gesta per sui decursus tempora consummauit, finem tantæ diuturnitatis accipiet. Quod quidem nostro sub periode, inuictissime Romanorum princeps, prosperè conseruare, faustéq; feliciter & longæuè tua manu dirigere dignetur stelliferi conditor orbis, qui perpetua mundum semper ratione gubernat, in sæcula benedictus, Amen.



In tra-



In tractatum PETRI DE ANDLO, DE IMPERIO ROMANO &c.

NOTÆ

MARQVARDI FREHERI,
Consiliarij Palatini.

FRIDE-

FRIDERICI III. IMP.

VITA, PER FRIDERICUM NAUSEAM BLANCICAMPIANUM Episcopum Viennensem summariè descripta.



RIDERICVS ROMANORVM REX ATQVE Imperator, ad quem etiam Aeneas Sylvius Piccolomineus De ortu & authoritate Romani Imperii *scripsit, huius fuit nominis tertius, à re & nomine Fridericus appellari cœptus, utpote cognomento pacificus: quoniam pacis fuerit atque otii nullo non tempore studiosissimus, nihil habens ab initio antiquius tuendæ pacis studio, servans & faciens ubique pacem. Prius Archidux Austriæ, Stiriæ ac Carinthiæ Dux, Comes Tirolis & ab Habspurg, Ernesti Ducis Filius, a clarissimis suis majoribus nec religione, nec fide, nec doctrina, nec pietate, nec probitate degenerans: nimirum vehementissimus sacrosanctæ nostræ fidei & religionis Zelator, primum semper regnum Dei quærens: atq; propter hoc felix idemq; beatus esse haberique cœpit. Huius argumento majorum vestigia secutus, ac probans quod dici solet, Hierosolymis fuisse laudabile esse, sanctam civitatem religiosa peregrinatione suscepta venerabundus accessit: unde feliciter reversus, & ab animi & corporis & fortunæ dotibus magnopere commendatus, post Alberti Romanorum, Hungariæ, Boemiæq; Regis & Austriæ Ducis obitum, concordi principum Electorum suffragio Romani imperii fascibus & adornatus, Anno post Christum natum M. CCCC. XL. Qui deinde ducta Lusitanici sanginis Helconora, cum in Italiam transcendisset ad Nicolaum V. Pont. Max. pro Imperiali diademate adipiscendo profectus, ab eo nullo non honoris genere exceptus est, illi & uxori Imperiali corona*

viri pietate & doctrina tam multi quàm praecellentes. Inter quos perinde praecipui fuerunt Petrus à colle Germanus, Hermannus Monachus Germ. Johannes Gauver Germ. Bernardinus Senensis, Antonius Gaynerus Papiensis, Gerandus Stredamus, Matthaeus Palmerius Florentinus, Johannes Ernestus Germ. Bartholomaeus Cartusianus Germ. Henricus VVertensis Germ. Andreas Monachus Spanheimensis, Antonius Archiepiscopus Florentinus, Leonardus ab Itino, Johannes Capistranus Apoctius, Nicolaus Cusanus Episcopus Brixinensis Cardinalis, Johannes Rode Germ. Guarinus Veronensis, Henricus Kalteysen Germ. Johannes Bertachinus Italus, Lanfrancrus Orianus Italus, Henricus Gorickem Germ. &c. (Deprehendi enim omnes illos hic enumerari, quos sub Imperio Friderici hujus Imp. III. ponit Trithemius Abbas in Ecclesiasticis Scriptorib.) *Hi nimirum plerique omnes & id genus alii diversis in facultatibus oppidò praeclari, memoriamque sui scriptis ac editis libris apud posteros illustrem reddentes, sub uno Friderico III. Imp. floruerunt.*

Haec ille.

Mirum autem videri possit, & visum nobis non semel fuit, neque hoc loco, aut apud ipsum Trithemium hujus noticiae curiosissimum, neque apud VVimphelingum in Epitoma rerum Germanicarum, cap. 52. mentionem fieri Petri hujus de Andlo, non indocti illa tempestate viri. Sed nimirum non omnes novimus omnes: & (quod verè quidam magnus vir dixit) famam alii habent, alii merentur. Addo, quidam etiam refugiunt. Quid quod & unicum hujus libri exemplar hactenus videre nobis contigit, Bibliothecae Palatinae, (cujus usura ex beneficio Serenissimi Principis Electoris liberè fruimur,) jamdudum aliud per ipsam Alsatiam nequicquam indagantibus: idque ipsum non emendatissimè scriptum, & opem in conjiciendo, emendando, supplendo nostram subindè requirens. Quod etiam nostrae excusationis gratia testari voluimus.

NOTÆ IN Petrum de Andlo.

AD LIBRUM PRIMUM.

In Præfationem.



Ag. 1. Progressum) L. Florus Sextus Ruffus V. C. ad Valentinianum August. nostro sæculo Hubert. Golthius in Fastis.

Loci & urbis gloriam) Q. Fabius Pistor de origine urbis Romæ, M. Porcius Cato in originibus, Sextus Ruffus & Publ. Victor de regionibus urbis Romæ. Sext. Jul. Frontinus de aquæductibus urbis Rom. Idemque de Coloniis Pop. Rom. Rutil. Claud. Numatianus Itinerarii lib. 1. *Nostro sæculo* Andr. Fulv. Sabinus, M. Fab. Calvus, Bart. Martianus, Onuph. Panuinius, Georg. Fabricius, & alii.

Ad quos migravit.) Post invasiones illas repetitas Gothorum, Vandalorum. Longobardorum, & Francorum denique. Inclinantis Imperii historiam scripsit accuratè Fl. Blondus. Idem argumentum *de migrationibus populorum Septentrionalium pòst devictos à C. Mario Cimbros, & de ruina Romani Imperii,* eleganter tractavit N. Machiavellus lib. 1. Historiæ Florentinæ: quod opusculum extat Latinè, interprete Hieronymo Turlero.

De Imperialis Celsitud.) Idem tamen argumentum tractaverunt, ante hunc Andlóum. superiori ævo Dantes Aligerius, Æneas Sylvius: post eum, Bart. Chassaneus in gloria Mundi, Petr. Belluga in speculo Principum, Marius Coradus in Templo judicum, & Franc. Zoannetus libello peculiari *de Romano Impero eiusq; Iurisdictione.*

Pag. 2. *A quibus olim Ecclesiæ salus.)* Hinc est quod dicitur Can. in die 15. Distinct. 5. de consecrat. *Teutonicis esse concessum regimen Romanæ Ecclesiæ,* quod exponit Lupold. Bebenpurg. in lib. de jurib. Imperii, cap. 14. Cujus etiam extat liber singularis, de Zelo in Christiana religione veterum Principum Romanorum.

Germanorum fulgidiss. nominis.) Hebræis Germania nota sub nomi-

ne *Aschenaz*, ut ex Benjamino & Davide Camio notat Joh. Drusius lib. 1. Animadvers. c. 41 Et jam tùm apud Ezechielem Prophetā *Thogerma* de Germanis interpretatur Chaldeus interpres, duobus locis, cap. 27. *de domo Thogerma equos & equites*. c. 38. *Gomer & universa eius agmina domus Thogerma, latera Aquilonis.* ut præclarè observavit. Hadria. Junius in Batavia c. 21. Apud Græcos verò Germani ab omni antiquitate noti & celebres sunt sub nomine Celtarum: quod eis cum Gallis commune fuisse constat, imò illis potius quàm his convenire, idem Doctiss. Vir demonstrat cap. 22. Josephus illos Gomeri posteros, etiam *Rheginas* (à Rheno, ut puto, quasi Rhenigenas aut Rhenenses) à Græcis dictos ait, lib 1 cap. 7. Γομάρυ ἠὸς Ἀχανάζης μὲν ἀχανάζας ὤκισεν, οἱ νῦν Ῥηγῖνες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦνται. Romanis verò diversis & perpetuis bellis cogniti fuerunt Cimbri, Teutones, Germani, Alemanni, Franci, Saxones, Gothi, Vandali, Longobardi. Atq; utinam extarent *de Germanorum bellis* libri peculiares, quos Valerius Bassus poëta, Plinius Secundus, & Asinius Quadratus condiderunt: quorum illius Tacitus, hujus Agathias meminerunt: item Ablabii & Dionis Gothica, quorum Iornandes, & secundi *gesta Longobardorum* quorum Paulus Diaconus.

AD CAPUT I.

P 5. *De Principatuum origine*) Idem argumentum eruditè tractat Æn. Sylvius cap. 1. & seq. de ortu & auctor. Rom Imp quem ad hunc ipsum Fridericum III. Imp. tunc illi à consiliis & secretis scripsit. Item Dantes Aligorius de Monarchia lib 1.

P 7. *Gladius ante Principem.*) per Præfectum prætorio. Unde nobile Trajani dictum: *Hoc pro me utere, si iuste imperavero: sin minus, contra me.* Ita apud posteriorem aulam fuerunt Spatarii & Protospatarii: apud Francos Basanus Sicambrorum Rex quocunq; ibat, gladium & funem sibi præferri jussit in signum justitiæ: & Carolo M. ante ejus tribunal Spata nuda more imperiali ferebatur, teste Turpino cap. 20. Et in Germanico Imperio, *Saxo Dux portitor Ensis*, de quo infra.

Apostoli verba.) Οὐ γὰρ εἰκῆ τὴν μάχαιραν φορεῖ ἡ ἐξουσία. Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Rom. 13.

CAP.

CAPUT II.

PAg 8 *An Principatus à Deo?*) Ipse Homerus Reges Διοτρεφέας vocat, quasi in Jovis sinu & ulnis educatos. Imperatores Græci se Θεοστεφεῖς, *à Deo coronatos*, & Χριστὸς κυρίου, *unctos Domini*, profiteri solebant. Iren. Nicephorum ὡς Θεοῦ προβληθέντα agnoscit, apud Zonoram & Cedrenum. Et nostri Cæsares ac Principes *à Divino nutu, Dei gratia, Divina favente clementia* nomina dignitatis suæ usurpant.

Christus Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum.*

Regem sicut aliæ gentes.) Quæ observantissimæ suorum Regum. Vergilius 4. Georg.

Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, non populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est.

Lucanus VII. Pharsaliæ, p. 215.

P 9 *Virtutem in ægrotos.*) Ut à Vespasiano Imp sub auspicio imperii curatos duos, unum luminibus orbatum alterum crure debilitatum, Suetonius & Tacitus; ab Hadriano duos cæcos recepisse oculos Spartianus scribunt.

De Regibus Franciæ.) Si quis requirat, quæ sit hæc regio sanatio, referam libenter (ait Hubertus Thomas Leodius lib. 6 de vita Friderici II. Palatini) quæ super ea re pleriq; etiam magni Viri mihi constanter affirmarunt. *Laborare dicunt Gallos peculiari saucium morbo, qui à Græcis* Χοιράς, *a Latinis gulæ tumor, struma sive scrophulæ appellatur* (Gallis escrovelles) *& à nemine sanari nisi ab ipso Rege potest. Regibus autem Franciæ id doni impetrasse à Deo divum (si benè memini) Fiacrum perhibent. Certo igitur tempore, præsertim quando is morbus grassatur, Rex confitetur, & se ab omni vitiorum labe purgat, & Sacram Eucharistiam quotidie per quatuor dies devotè sumit. Deinde procumbentibus ante se morbo, prædicto laborantibus, uniuscuiusq; ordine guttur in crucis formam tangit: & statim postea liberatur. Vt credam* (addit) *facit sacrosancta tanti Regis maiestas, quæ huiusmodi actum non exerceret toties, nisi sciret certum eventum habere.* Philippus Cominæus lib. IX. *Paucis ante diebus, cum ex more Galliæ Regum curasset ægrotos, qui struma vexabantur, expiaverat pro sua consuetudine peccata; ideoq; nihil ei magnopere dicendum restabat.*

Et Angliæ.) Confirmat id Beda lib 1. Hist, Eccles. Polydor, Vergil.

lib. VIII. Hist. Angl. Petr. Blesensis Epist. 150. *Nec in vacuum accepit unctionis regiæ sacramentum: cuius efficacia si nescitur, fidem eius plenissimam faciet defectus inguinariæ pestis, & curatio scrophularum.* Idem Leodius ibidem: *Rex Angliæ se quoq; Regem Franciæ scribit: & ut nusquam Regi Franciæ cedere videatur, se a Deo quoq; singulare donum habere, mederiq; spasmo sive contractioni nervorum profitetur: & quo maior eius authoritas habeatur, non dimittit se ad tangendos hominum articulos, sed annulos aureos & argenteos quibusdam ceremoniis consecrat, quos dono dat, vel vendunt aurifabri. Quod illum facere certò scio: quia Rex Henricus VII. cum essem ad ipsum à Principe missus, mihi sexaginta dono dedit. Sed an hanc virtutem & efficaciam habeant, iis relinquo iudicandum, quibus illos impertivi: quia hoc morbo (Deo sit gratia) ipse nunquam impeditus fui.* Strumæ autem Scrophularum nomen inde sortitæ sunt, quod hoc morbo scrophæ maximè sint obnoxiæ, ut scribit Plinius lib. 9. cap. 17. & Cornel. Celsus lib. 5 c. 38.

CAPUT III.

PAg. 13. *Reges propter regna*) Ut pastores propter greges, non greges propter illos. Nam & Reges quid nisi ποιμένες λαῶν? Possuntq; subditi esse sine Regibus, Reges sine illis esse non possunt. Quod probè intelligentes etiam ipsi Romani principes, de conciliandâ & retinenda civium subditorumq; benevolentia omnibus modis, tam dictis quàm factis laborarunt. Imò & gestibus. Venientes enim in concionem populi non minus ipsi eum venerabantur, quam adorari ipsi volebant. Claudianus in VI. Consulatum Honorii Imp.

Plebis adoratæ reboat fragor, unaq; totis

Intonat Augustum septenis arcibus echo. Symmachus ad Valentinianum Imp. lib. 10. Epist. 27. *Populum quem triumphantes sæpe veneramini.* Deniq; Imperium nihil esse aliud quam *curam salutis alienæ*, ex Sapientum sententia rectè scribit alicubi Am. Marcellinus. Et ipse Octavius Augustus *salutem Republic. tueri nulli magis credidit convenire, neq; alium sufficere ei rei quam Cæsarem*, uti Paulus JC. retulit l. 3. D. de offic. præfec. Vigil. Cui geminum germanum est illud D. Hadriani Imp. à Dione & Spartiano relatum: *se sic gesurum principatum, ut sciret rem populi esse, non suam.*

CAP.

CAPUT IV.

PAg 15. *Cain civitatem ædificavit.*) Huc vide D. Augustinum lib. 15. de Civitate Dei c. 5 & 8.

P. 16. *16. de Civit. Dei.*) c. 17. Idemq; latius pertractat lib. 18 c. 2. 3. & verba Augustini hoc loco protrahuntur usq; eo; Romam velut alteram in occidente Babylonem.

P. 18. *Assyriorum Medorum &c.*) Claudianus lib 3. in laud. stilicon.

— Sic Medus ademit
Assyrio, Med[illegible] t[illegible]lit moderamina Perses,
Subiecit Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis —

CAPUT V.

PAg 19. XVIII. *de Civit. Dei.*) cap 21. 22. & sequentib. Ex quo sequentia omnia desumpta sunt, usq; ad capitis finem.

Expositos lupa nutrierit.) Ut Cyrum regem canis: vel potius pastoris uxor, cui Spacos nomen, quod canem Persis sonat Justino auctore.

P 21. *Neq; ab exordio ullum minus*) Plutarchus lib. de fortuna Romana. à summis & velocissimis incrementis, & singulari successuum felicitate arguit, non esse humana vi sed Deorum numine & auspiciis id Imperium comparatum.

CAPUT VI.

PAg. 24 *Superbum*) Pacatus Panegyrico: *Tarquinium execratione postrema damnaverunt maledicto, vocaverunt superbum, & putaverunt sufficere convicium.* Servius in XI. Æneid. *Apud maiores superbia ingens facinus fuit, adeo ut Tarquinius pro multis sceleribus Superbi nomen acceperit. & Vergilius Superbi epitheton proprium Turni facit, pro ingenti scelere.*

P. 25. *Imperium annuum.*) Verba sunt Eutropii, & Halicarnassei, lib. IIII. in fine Uni Africano superiori, sed recusanti, populus Romanus consulatum continuum per ætatem esse voluerat propter maxima eius merita ut Valerius refert lib. 4. c. 1. Consulatum *annuum honorem* vocat Seneca lib. 1. de ira, cap. ult. Cyprianus & Lactantius *an-*

unum dignitatem Tertullianus de patienc in fine. *unius anni volaticum gaudium*. Huc pertinet l 3 & 4. C. de Consulib. & Novella 105.

P. 26. *triumphis & suorum sanguine.*) Firmianus tamen Lactantius, & alii, *prædones orbis Romanos vocant. Quantum a iustitia* (inquit lib. 4 c 9) *recedat utilitas, populus ipse Romanus docet qui per feciales bella indicendo, & legitime injurias inferendo, possessionem sibi totius orbis comparavit.* Sed pro illis respondet D. Augustinus lib 3. de Civit. Dei, c. 10. Et totam quæstionem singulari libro plenissimè excussit C. V. Albericus Gentilis, cui titulum fecit, de armis Romanis.

P. 27. *Arcus triumphales.*) de quibus Jul. Cæsar Bulonger in lib de triumpho, c. 2. Ex quo genere adhuc Romæ visuntur arcus Severi, Titi, & Constantini Impp Fr. Petrarcha lib. 2 Epist. familiar. 14 ubi de ruinis urbis Romæ disserit: jam non orbem ab hac urbe domitum, sed tam serò domitum miror.

Censoria nota) Rutilius lib. 1 Itinerar.

Restituit veterem censoria lima pudorem,
Dumq; malos carpit, præcipit esse bonum.

CAPUT VII.

P. 28. *Mutatione.*) Ita Petronii Arbitri inscribitur elegantissi: hac de re Idyllion *De mutatione Reipublicæ Romanæ.*

P. 28. *Consularis imperii mutatione.*) verè mutatione. Nam etiamsi sub Cæsaribus quoq; Consules & Senatus manserunt, tamen non nisi nomine & forma quadam, verumq; fuit quod Julius Cæs. occupato imperio dixit: *Rempublicam iam umbram tantum Reipublicæ habere*, apud Suetonium Nec minus verè & significanter, quàm breviter Lucanus: *omnia Cæsar erat.* arguens in unum omnes honores & dignitates congestas, quæ tunc Romæ fuerint. Ipsi etiam Principes Consulatum ad se traxerunt, & Tribunitiam potestatem, affectatione quadam popularitatis: sed revera consilio auctoritatis occupandæ: ita ut alii Tribuni plebis non nisi umbratili & imaginario honore fungerentur, ut Plinius alicubi in Epistolis scribit.

Dissensioq; maxima.) Quam poeticè & elegantissimè describit post Maronem & Lucanum, Eumolpus apud Petronium Arbitrum, ubi & ita concludit:

Factum

Factum est in terris, quidquid discordia iussit

P.30 *Christus imperium suo adventu.*) Imò ipse civis Romanus nasci & censui inscribi voluit, ut loquitur Eusebius, Orosius & Diaconus. Unde sunt, qui putent, titulum SACRI Romano Imperio præ aliis jure competere.

Compositum reperit) Leo M PP Sermone 1. in natal. Pet & Pauli: *Ut autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia præparavit: cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undiq; gentium vicina & contigua esset universitas. Disposito namq; divinitus operi maximè congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio: ut citò pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.* Eucherius Lugdunensis Episcop. ad Valerianum: *Putas ne ob aliud nationes & regna in ditionem ac ius cessisse Romanum, & ob aliud magnam partem generis humani in unum transisse populum, nisi ut facilius tanquam medicamentum per corpus unum, ita per unam gentem fides infusa penetraret, & ut capiti ingesta velociter se per membra diffunderet.* Et postea: *Magnum ex hoc divinæ pietatis argumentum est, quod sub Cæsare Octavio, cum ubiq; Romana possessio verticem tenuit, tunc se Deus terris dedit. Ita ut quidquid vel sub illa dominatione Regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione Consulum Romano accessit Imperio, omnia Christi adventui præparata, & diffundendæ fidei prævisa posit, si quis est idoneus assertor, ostendere.* Quam sententiam pulcherrimis versibus diffusè exequitur Prudentius lib. 2. contra Symmachum, illo loco:

Vis dicam quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit? ——

Apicem in terris.) Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocat. gent. c 16. *Ad cuius rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam, ut nationes vocandæ ad unitatem corporis Christi, prius iure unius consociarentur imperii. Quamvis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma: multosq; iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit; Quæ tamen per Apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.* Idem de ingratis c.2.

Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet: —— Leo M. eodem sermone:

Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & regia per sacram D. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra mariq; protuleris, minus tamen est quod bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit. Atque ita quidem Latini patres.

Sub Augusto Monarchia) Oros VII. c.2 p. 573 patrem Augusti Cæsarem scribit metatorem potius Imperii quàm Imperatorem extitisse. Martialis apophor. 124.

Romanos rerum dominos gentemq; togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

I. Augustus Octavius Julio consecrato nobilis, ac Augustus in edicto quodam optimi status auctorem se profitetur, Sueton. c. 28 adamantini ad Julian Cass. p 71.

Caput rerum omnium) Ita in Bulla aurea Caroli IIII Imp scriptum legitur: ROMA CAPUT MUNDI REGIT ORBIS FRENA ROTUNDI. Et vetus extat versiculus Pomponii,

Roma tuum nomen terris fatale regendis.

Ita Vergil. *Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.* Horatius: *Romæ principis urbium.* Rutilius: *Regina huius pulcherrima mundi.* Martialis: *Terrarum Dea gentiumq; Roma.* Tullius III. Catilin. *arcem gentium* vocat ejusq; exemplo Nazarius & Symmachus. Polæmon Sophista *Epitomen orbis* eleganti elogio dixit Romam: & Athenæus lib,1 ἡ Ῥωμαίων πόλις τῆς Οἰκουμένης ἐπιτομή. Nimirum quia ut Ovidius in Arte dicit,

Hæc habet ut dicas, quicquid in orbe fuit.

Unde vicissim Colonias & municipia non nisi Urbis Romæ effigies parvaq; simulachra Gellius appellat, lib. 16. c 13. Cyneas Pyrrhi legatus Senatum videns, *unum coactum multitudinem regum dixit* Fere ut Dionysius Afer in descriptione Orb. μέγαν οἶκον ἀνάκτων. In disputatione Adriani Imp & Epicteti legimus: *Quid est Roma? Fons Imperii orbis terrarum, mater gentium, Regum possessio, Romanorum contubernium, Pacis æternæ conservatio.* Hanc nunquam sine insigni aliquo epitheto veteres auctores nominarunt, Romam *magnam*, Romam *Martiam*, *Augustam*, Romam *venerabilem, sacram, sacratissimam, æternam* deniq; subinde appellantes.

lâtes. Tria sunt quæ D. Aug. vidisse maximoperè optare solebat Christũ in carne, Paulum in ore, Romã in flore D Hieron. in Com. ad Eph. in fine *Dominam urbium, arcem imperii Romani.* Præfat. in Ezech. *Clarissimum omnium terrarum lumen.* Chrysostomus Homil. 2. ad Roman Πόλεων κυρυφὴ, πρὸς ἣν ἅπασα ἔβλεπεν ἡ οἰκουμένη. Deniq; Hannibal ipse Pœnus apud Lucianum: μεχρὶ τῶν προαστείων τῆς προυχούσης πόλεως (Romam dicit) ἦλθον.

Augustus) ab auguriis. Aliter Dion lib 57. Αὔγουστος ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. ἐξ ὅτου καὶ σεβαστὸν καὶ ἑλληνίζοντες, πῶς ὥσπερ τινὰ σεπτὸν, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι προσεῖπον. *Augusto autem nomini opponuntur Tyranni, Orosius 6. cap. 20.* de Octavio loquens, *AVGVSTVS consalutatus est: quod nomen cunctis antea inviolatum, & usq, ad nunc cæteris inausum dominis, tantum orbis licitè usurpatum apicem declarat imperii.*

Pag. 31. Keiser.) Otfridus Monachus Weissenburg. vetustissimus omnium nostri idiomatis scriptor, in libris Evangeliorum scribere solet, Keyser/ Keisores pag. 363. 417. 427.

Albanos Sylvii.) Ægyptios Ptolomei & Pharaones apud Persas Artaxerxes & Sapores, apud Parthos Arsacidæ, apud Indos Taxiles, apud Servios Cratæ, apud Avares Cagani, apud Arabes Amyræ, Longobardes Flavii. Quin imò ut Romani Principes à Cæsare Augusto, ita posteriores Byzantini à Constantino nomen affectarunt, ut apud Zonaram & Cedrenum legimus.

Sed Rex,) Nomen olim apud Romanos invisum, nec post Tarquinium ab ullo usurpatum: & ut Scipio Africanus Hispaniæ populis, qui virtutis admiratione regnum illi detulerunt, dixit, *Regum nomen alibi magnum, Romæ intolerabile.* Itaque Julius plebi Regem se salutanti, *Cæsarem se non Regem esse respondit,* Sueton. cap. 79. De quo eleganter Synesius oratione de Regno ad Arcadium Imp Appium: ἐστὶ ἡ ἀρχὴ μεγίστη ἐπὶ ἀρχοῖς. οὓς βασιλέας μὲν οὐ λέγουσι, ὥς ἔγωγε νομίζω, τὸν ὄγκον αἰδούμενοι τὸν πάλαι: αὐτοκράτορας δὲ ὀνομάζουσιν, ὃ καὶ τῶν στρατηγῶν στρατηγῶν ὄνομα ἦν εἰ δὲ ἔργα τὰ πάντα βασιλεῖς. Horatius tamen de Augusto: *Magnorum Rex maxime Regum.* Satyricè, ut notavit eleganter Gruterus noster lib. 6. Suspicon cap 2.

CAPUT VIII.

PAg. 32. *In suo processu utramq;.*) Hoc est quod Symmacho vrbi Romæ Genium suum attribuenti, Prudentius replicat versibus elegantissimis:

Sic septingentis erravit circiter annis:
Lubricaq; & semper dubitans, quæ forma placeret
Imperii, & quæ regnandi foret æqua potestas.
Regius exortam iam tunc habuit status urbem,
Non sine grandævis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clavum consilii: plebeias inde catervas
Collatas patribus mistim ditionibus æquis
Imperitasse diu belloq; & pace regendas.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa Tribuno est.
Displicet hic subitò status, & bis quina creantur
Summorum procerum fastigia: quos duodeni
Circumstant fasces, simul & sua quemq; securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & consulibus dat condere fastos.
Vltima sanguineus turbavit sæcla Triumvir.
Fluctibus his olim fatum Geniusve animusve
Publicus erravit. tandem dependere rectum
Doctus iter, caput Augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atq; Senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, & idem
Dictator censorq; bonus, morumq; magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.

Regimen unius.) Et tamen etiam sub Cæsaribus magis mixtum è tribus reipublicæ genus, quàm absolutam Monarchiam fuisse demonstrat, eoq; nomine magis eam extollit Aristides Smyrneus (qui sub Antoninis floruit) Oratione εἰς Ῥώμην. Unde adeò Reipublicæ nomen κατ' ἐξοχὴν retinuit Romana. Optatus Milevitanus lib. 3. *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, id est, in Imperio Romano.* Gregorius M. ad Phocam Imp. ita scribit: *Hoc interesse inter Reges gentium &*

tium & Reipublicæ Imperatores, quod illi sunt servorum Domini, Cæsares liberorum. Hoc est quod Themistius in Protreptico ad Valentinianum juniorem ait · ἐπ ἄλλο μὲν ἐλευθέρων ἄρχειν, ἄλλο δὲ οἰκετῶν : καὶ τὸ μὲν ἀρετῆς ὑπεροχὴ, τὸ δὲ τύχης πλεονεξία.

CAPUT IX.

PAg. 37. *Roma annuo Senatore.)* ex c. fundamenta. 17. De electio. in VI.) *Qui superista urbis Romæ dicitur* apud Anastasium in Pontificali, *Optimus, Romanorum illustrissimus* apud Lintprand. Diaconum lib. 6. c. 6.

CAPUT X.

PAg 41. *Armorum atq; legum.)* Jornandes de Temp. success. *Romani, ut ait Iamblichus, armis & legibus sese exercentes, orbem terræ suum fecerunt. Armis siquidem construxerunt: legibus autem conservarunt.* Horatius ad Octavium Augustum:

Res Italas armis tuearis, legibus ornes.

Sulpicia in Satyra: — — *duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Ita Fortunatus de Chilperico R. Francorum:

Inter utrumq; sagax, armis & iure probatus:
Belliger hinc radias, legifer inde micas.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis.
Sic veterum Regum par simul atq; prior.

Sacratiss. sanctio legum.) De Romanorum εὐνομίᾳ præ omnibus nationibus & imperiis admirabili peculiaris & elegans extat oratio Petri Suffridi Leonardiensis, *De præstantia legum Romanarum.*

Pag. 47. *nostra Alamania despicit.)* Forte propter abusum, & nimiam tractationem æquo bonoq; adversam. De ipso hoc Friderico III. Imp ad quem scripsit Andlous, scribit Cuspinianus; optimum Principem Jurisperitos mediocriter dilexisse *quod iuris æquitatem diceret ab iis interti, iustitiamque fœdari.* In eosdem ab illo ævo extat invectiva Æneæ Sylvii tunc eidem Cæsari à secretis, lib. 1. Epist. 3. & Poggii Florerentini quæst convival. 3. Sylvium tamen, licet postea Pontificem, ut Musis quàm legibus addictiorem, falsè perstringit in Appellatione sua Gregorius de Heimburg. Tomo II. German fol. 128.

Absq; justitia & pace.) Nondum tunc erectæ & sancitæ fuerant salutares illæ de Pace publica constitutiones: nondum tribunal Cameræ Imperialis.

Plurimi populorum.) Adeò ut inde inferant non nulli, Romanum illud vetus adhuc vigere Imperium, cujus leges vivendi modum & normam Christianis populis præscribant. Unde per hanc legum Romanarum observantiam, Bartolus universalem Imperii jurisdictionem in eius observatores retineri docet, in l. Hostes. num. 3. de capt. & postlim. Ut credendum sit non prius interiturum in universo orbe Romanorum imperium, quàm jus civile Romanum cum lingua Latina apud mortales ubiq; exoleverit, in usuque passim esse desierit: ut latè differit Francis Zoannetus in tract. de Roma Imper. num. 119. 123. & seq & præsertim num. 252.

Vt in unam societatem.) Multa in hanc sententiam Eusebius de præparat. Evangel. Prudentius in martyrio Laurentii:

Qui sceptra Romæ in vertice rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinitale togæ servire, & armis cedere,
Vt discrepantum gentium mores, & observantiam,
Linguasq;, & ingenia, & sacra, unis domares legibus.

Contra edictum patris.) Jam verò ita lex scripta est: *In bello qui rem à Duce prohibitam facit, aut mandatum non servat,* capite punitur, etiamsi benè res cesserit. L. 1. § penult. D. de re milita. Silius Italicus lib. 7. de Fabio loquens: ——

—— summumq; decus, quo tollis ad astra
Imperii Romane caput, PARERE docebat.

Maluit carere nato.) Adeò verum est disciplinam castrorum antiquiorem fuisse parentibus Romanis, quàm charitatem liberorum, ut ait Paulus L. 19 §. filius quoque. D. de captivis. Huc respiciens Quintilianus Declam. 349. *Illi verè fortes & viri fuerunt, qui cum hoc meminissent, liberos à se Reipublicæ gratia procreatos, benè impendi crediderunt exemplo.*

Pag. 43. *Patrocinium orbis terræ.*) Multa in hanc rem Aristides Rhetor Græcus oratione εἰς Ῥώμην. Inde *communis patria* dicitur à veteribus, Plinio, Seneca, Sidonio, Symmacho, Cassiodoro, & in jure L. 17.

L. 17. D. de statu hom. L. 4. De excus. tutor. L. 33. D. ad municipal. Claudianus 3. in Stilicon.

Hæc est in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumq; genus commum nomine fovet,
Matris non dominæ ritu: civesq; vocavit,
Quos domuit, nexuq; pio longinqua revinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,
Quod cuncti gens una sumus.

Rutil. Numatianus Gallus lib. 1. Itinerarii.

Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit invictis te dominante capi.
Dumq; offers victis proprii consortia iuris,
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemq; fatemur,
AEneadem matrem, Romulidumq; patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires,
Convenit in mores nomen utrumq; tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas.
Quos timuit, superat: quos superavit, amat.

Pag. 44. *Captis Syracusis.*) Ita ferè captis Hierosolymis Titus.

Iudas Machabeus.) Illud tamen Machabeorum fœdus cum Romanis sunt qui improbaverint, ut Petr. Blesensis Epist. 146. & in Can. Episc. *Recolis Machabeos, qui quoties Romanorum implorarunt suffragium, eorumq; amicitia principibus & populis Israël versa est in singultum.* Item Rupertus Abb. Tuitiens. lib. 10. De victoria Verbi Dei, cap. ult.

Vsu militiæ.) adde, ante omnia arte gubernandi, quam propriam Romanis facit Poëta:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Orabunt causas melius, & sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Maturitate consiliorum.) Unde proverbium natum: *Romanus sedendo vincit,* apud Varronem lib. 1. Rustic.

Gentium amicitiis.) adde, & fide erga socios. Quas virtutes in Romanis laudari legimus etiam in sacris literis, 1. Machab cap. 8. & Joseph. lib. 8 cap. 19. Deniq; *Romana virtus, Romanus animus. Romanum nomen*, subinde extolluntur à veteribus, Plinio, Seneca, Symmacho. Ammianus *Romam virtutem omnium domicilium vocat*, lib. 14. & Cassiodorus, *Virtutum omnium latissimum templum*, & alibi, *Patriam virtutum*. Sed quid de virtute Romanorum amplius dicemus, aut legimus post Lipsium? qui toto libro 4. de magnitudine Roman. rem plenissimè pertractat.

Pag 45. *mercedem virtutis.*) Rutilius ad Romam:

Quod regnas, minus est quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.

CAPUT XI.

PAg. 45. *Historiis panditur.*) Sed quibus? an Zosimo, Eunapio, Juliano Cæsare qui Constantino Imper. infensi? an Eusebio qui vitam illius principis ex professo descripsit, Christanus Christiani, ut in eius extollenda pietate ferè nimius videri possit: an Eutropio, Victorio, qui Constantium eiusque filios regnantes vidit? an panegyricis Eusebii, Gregorii Nazarii. Publilii Optatiani? an Lampridio, Julio Firmico Lactantio, qui ad hunc libros suos scripserunt? an scriptoribus historiæ Byzantinæ, Zonara, Theophane, Cedreno, Glyca? an vel Simeone Metaphraste in Monologio, ubi huncce ἰσαπόστολον inter sanctos refert? Denique Sulp. Severo, vel ipso Damaso, aut Anastasio scriptore historiæ Pontificalis, in isto Sylvestro? Mirum quo pacto.

— *pressa est insignis gloria facti.*

Pag 46. *incidit plagam lepræ.*) Hoc quidem habet etiam Zonaras, Cedrenus, Glycas: sed nullus veterum. Et ad Constantinum V. Copronymum rectius referri posse, notavit Cuspinianus & Alciat. lib. 7. Parerg. cap 19 quo toto capite hujus fidem subruit.

In monte Serapidis.) Quid ibi? an Serapidem colebat, ut de Christianis Ægyptiacis scribebat Hadrianus Imp. apud Fl. Vobiscum in Saturnino. Sed alii habent montem Soractem, apud M. Polonum perperam, Syrapti.

Pag 47. *attulitq; imagines Apostolorum.*) Hunc locum, velut dubiæ fidei, tangit & explicat Carolus Magnus Rex in lib. 2. de Imaginibus cap 13.

Cum Senatu) Orationem S P. Q. R. qualis esse de hoc instituto ad Principem potuerit, eleganter commentatus est Laurent. Valla.

Illic Imp. terrenus) Constantinum Regis nomen recusasse, Christo imperium tribuisse, meminit C. Iuveneus Presbyter in epilogo Histor. Evangel.

Constantinus, adest cui gratia digna merenti.
Qui solus Regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus: quo iustis dignior actis
AEternam capiat divina in secula vitam.

Decretis inserta) sub nomine Paleæ, in hodiernis editionibus: quod in antiquis codicibus non inveniri testes sunt Antonius Archiepisc Florentin Volateranus, Cusanus, alii. In Nomocanone Photii etiam Græcè posteà versa legitur. Tit.

Ineoq. Privilegio) Hujus privilegii meminit quidem etiam Hincmarus Remens. epist. 3. cap 13. Ado Viennens. Æl. 6. Godfrid. Viterbien. par. 6. Chron. 32. Burchard. lib. 2. Decret. cap. 5. Iuo. Carnol. par 5 cap 49. Leo IX. Epist. 1. cap. 13. Thomas Aquin Summæ par. III. quæst. 67. arg 4. Pet. Damianus in disceptat. synod. Sed nullus antiquiorum certè de Constantini ævo.

Pag. 48 *Principatum super Ecclesias*) Hoc dudum postea Bonifacio Papæ à Phoca Imp tributum scribunt P Diaconus Beda. Ado, Freculphus, Aimonius Sigebertus, M. Polonus, Frisingensis, Herman. Contractus, Viterbiensis. De quo tamen nihil apud Græcos, Zonaram, Glycam, Cedrenum, Callistum.

Palatium Lateranense) τὸ Λατεράνειον, τὸ ὑπερβάλλον καὶ ὑπερέχον τὰ τοῦ ὅλου κόσμου παλάτια quod omnibus in orbe palatiis præfertur atque præcellit, est in Græco. De hoc vide Onuph. Panuinium in lib. de Basilic. Rom. cap 4

Lorum) Ad hunc locum vide Cujac. in L. 1. c. de vestibus. holoberis. lib. 11 tit. 8.

Pag. 49. *Udonibus.*) ὀδόνιον. vide Cujac. ad L. vi C de excusat. muner & lib. x. obser. 1. 17. At ipsi Cæsares campagis calceabantur

Gentium amicitiis.) adde, & fide ergà socios. Quas virtutes in Romanis laudari legimus etiam in sacris literis, 1. Machab cap 8 & Joseph lib. 8 cap. 19. Deniq; *Romana virtus, Romanus animus. Romanum nomen,* subinde extolluntur à veteribus, Plinio, Seneca, Symmacho. Ammianus *Romam virtutem omnium domicilium vocat,* lib. 14. & Cassiodorus, *Virtutum omnium latissimum templum,* & alibi, *Patriam virtutum.* Sed quid de virtute Romanorum amplius dicemus, aut legimus post Lipsium? qui toto libro 4. de magnitudine Roman. rem plenissimè pertractat.

Pag 45. *mercedem virtutis.*) Rutilius ad Romam:

Quod regnas, minus est quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.

CAPUT XI.

PAg. 45. *Historiis panditur.*) Sed quibus? an Zosimo, Eunapio, Juliano Cæsare qui Constantino Imper. infensi? an Eusebio qui vitam illius principis ex professo descripsit, Christianus Christianum, ut in eius extollenda pietate ferè nimius videri possit: an Eutropio, Victorio, qui Constantium eiusque filios regnantes vidit? an panegyricis Eusebii, Gregorii Nazarii. Publilii Optatiani? an Lampridio, Julio Firmico Lactantio, qui ad hunc libros suos scripserunt? an scriptoribus historiæ Byzantinæ, Zonara, Theophane, Cedreno, Glyca? an vel Simeone Metaphraste in Monologio, ubi huncce ἰσαπόστολον inter sanctos refert? Denique Sulp. Severo, vel ipso Damaso, aut Anastasio scriptore historiæ Pontificalis, in isto Sylvestro? Mirum quo pacto.

— *pressa est insignis gloria facti.*

Pag 46. *incidit plagam lepræ.*) Hoc quidem habet etiam Zonaras, Cedrenus, Glycas: sed nullus veterum. Et ad Constantinum V. Copronymum rectius referri posse, notavit Cuspinianus & Alciat. lib. 7. Parerg. cap 19 quo toto capite hujus fidem subruit.

In monte Serapidis.) Quid ibi? an Serapidem colebat, ut de Christianis Ægyptiacis scribebat Hadrianus Imp. apud Fl. Vobiscum in Saturnino. Sed alii habent montem Soractem, apup M. Polonum perperam, Syrapti.

Pag. 47. *attulitq; imagines Apostolorum.*) Hunc locum, velut dubiæ fidei, tangit & explicat Carolus Magnus Rex in lib. 2. de Imaginibus cap 13.

Cum Senatu) Orationem S P. Q. R. qualis esse de hoc instituto ad Principem potuerit, eleganter commentatus est Laurent. Valla.

Illi Imp. terrenis) Constantinum Regis nomen recusasse, Christo imperium tribuisse, meminit C. Iuveneus Presbyter in epilogo Histor. Evangel.

Constantinus, adest cui gratia digna merenti.
Qui solus Regum sacri sibi nominis horret
Impom pondus: quo iustis dignior actis
AEternam capiat divina in secula vitam.

Decretis inserta) sub nomine Paleæ, in hodiernis editionibus: quod in antiquis codicibus non inveniri testes sunt Antonius Archiepisc Florentin Volateranus, Cusanus, alii. In Nomocanone Photii etiam Græcè posteà versa legitur. Tit.

Ineoq; Privilegio) Hujus privilegii meminit quidem etiam Hincmarus Remens. epist. 3. cap. 13. Ado Viennens. Æl. 6. Godfrid. Viterbien. par 6. Chron. § 2. Burchard. lib. 2. Decret. cap. 5. Iuo. Carnol. par 5 cap 49. Leo IX. Epist 1. cap. 13. Thomas Aquin Summæ par. III. quæst 67. arg 4. Pet Damianus in disceptat. synod. Sed nullus antiquiorum certè de Constantini ævo.

Pag 48 *Principatum super Ecclesias*) Hoc dudum postea Bonifacio Papæ à Phoca Imp tributum scribunt P Diaconus Beda. Ado, Freculphus, Aimonius Sigebertus, M. Polonus, Frising ensis, Herman. Contractius, Viterbiensis. De quo tamen nihil apud Græcos, Zonaram, Glycam Cedrenum Callistum.

Palatium Lateranense) τὸ Λατερανέσιον, τὸ ὑπερβαῖνον καὶ ὑπερνικῶν τὰ τοῦ ὅλου κόσμου παλάτια. quod omnibus in orbe palatiis præfertur atque præcellit, est in Græco. De hoc vide Onuph Panuinium in lib. de Basilic. Rom. cap. 4

Lorum) Ad hunc locum vide Cujac in L. 1. c. de vestibus. holoberis. lib. 11. tit. 8.

Pag. 49. Udonibus.) ὀδόνων vide Cujac ad L. vii C de excusat. muner & lib. x. obser. 1. 17. At ipsi Cæsares campagis calceabantur

& tzangis, de quib. idem XXI. observat. 28. & Pith. 1 Aversf. cap. 16. mappulis & linteaminibus.

Rom. urbem & Italia.) Atqui posteritas Constantini, quam diu superfuit & imperavit, etiam Romam urbem & occidentem tenuit. Et diu postea Zeno Imp. Romam Theodorico Regi Gotho habitandam concessit: eamque longo tempore Gothi coluere. Quin & sequentes Imperatores Græci, usque ad Constantinum Hirenes F. etiamsi sedem imperii Byzantium transtulissent, & (ut verisimile est) Romam facile negligerent, quo magis veteris Romæ nomen exolesceret, & novæ surgeret; tamen Legatos & Exarchos suos in Italia habuerunt apud Ravennam, & à Roma & Italia vectigalia adhuc percipiebant; ut Græci Latinique, Zonaras, Cedrenus, Nicetas, P. Diaconus, Anastasius aliique testantur. Quin & fuit cum de reducenda veterem Romam imperii sede serio cogitarent, ut de Constante Heraclii N. Diaconus, Zonaras & Glycas scribunt, dicere solitus, δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν. Deceptus igitur falsa auditiuncula fuit etiam Laonicus Chalcocondylas, cum libro I. de rebus Turc. scriberet, *Romanos cum nacti essent imperium in orbe longe latissimum, commisisse illud Romano Pontifici, ipsos verò transiisse in Thraciam, Byzantiam metropolim constituentes, &c.*

Pag. 50. *Propriis manibus.*) & literis aureis perscriptam, ut legitur in registro Bibliothecæ Vaticanæ, teste Bodino. Quomodo deinde Aripertus Rex Longobardorum donationem Alpium Cottiarum aureis exaratam litteris Romã dixerit, teste Warnefrido lib. 6. cap 28.

Apud curiosos legistis.) magis verò apud accuratos historicos & chronologos, an unquam facta fuerit. idque uno ore negant. è superiori sæculo Pomp. Lætus, Baptist. Mantuanus, Egnatius, Blondus, Volaterranus, Sabellicus, Valla, Cusanus, Nauclerus, Crantzius Bebenpurgius quoque qui se expediat, vix invenit, cap. 13. pag. 92. ubi plura in hanc rem à nobis annotata invenies.

Pag. 51. *primitus Byzantium.*) Ea antea *Lygos* dicta, Plinio, Solino, Ausonio auctoribus. Eius origines scripsit olim Illustrius quidam, quod opusculum postea in continuatoris sui Georgii Codini nomen transiit sub cujus nomine extant πάτρια τῆς Κωνσταντινουπόλεως, quæ nostro suasu Georgius Dousa Iani F. edidit & Latinè vertit.

A nomine suo.) Augustinus lib. 5. de Civit. Dei, cap. 25. de Constantino

ſtantino Imp loquens; *Cui etiam condere civitatem Romano imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo Dæmonum templo ſimulachroq; Deus conceſſit.* Auſonius in clar. urbib.

Et Conſtantino concedere cogit Eliſam. Huc pertinet etiam Oratio Themiſtii XIII. ad Conſtnntiū Imp. juniorem, in qua quædam de condita Urbe hac ſingularia. Iornandes in Geticis cap. 21. ſcribit, cum famoſiſſimam & Romæ æmulam in ſuo nomine ille conderet civitatem Gothorum operationem interfuiſſe; qui fœdere inito cum Imperatore, quadraginta ſuorum millia illi in ſolatium obtulerint.

Nova Roma) Νέα Ρώμη Huc pertinet titulus, *de privilegiis urbis Conſtantinopolitanæ*, libro Cod II. Tunc etiam cuſa ſunt mimiſmata duplicis generis pondere & valore æqualia, in quorum uno ſcriptum: URBS ROMA. in altero: CONSTANTINOPOLIS, in utroq; caput mulieris galeatę cum ſceptro vel haſta, qualis Roma pingi ſolebat, utriuſq; cives Romani dicti. Claudianus: *& Byzantinos proceres, Graiosq; Quirites.* Et provincia ipſa Thracia nomen *Romaniæ* iam tum ſortita in hanc diem retinet. Iornandes in Geticis cap. 25. *VVeſegoti tandem communi placito legatos ad Romaniam direxere ad Valenten. Imp.* Et c. 45 De Anthenio Imp Romaniam triviſſet. Et cap. 50. *Multi Hunnorum prorumentes tunc ſe in Romaniam dederunt.*

Sicut lex ipſa.) Hæc ſunt è Paulo Diac. vel Anaſtaſio Bibliothecario.

Anno CCCXI.) Secundum Caſſiodorum CCCXXXI. Vide huc Jul. Scaliger. lib. 5 de emendat. Temp. titulo, encæniis urbis Conſtatinop. novæ Romæ.

Græcorum potius Imperatores.) Neq, alio eos Germani titulo dignabantur, quàm Græcorum, vel Conſtantinopolitanorum, ut videmus apud Othonem Friſingenſem lib. 1. cap. 23. Petr. de Vineis lib. 3. cap. 29. At ipſi Byzantini Principes Romano titulo non ſe abdicabant, ut in eorum reſcriptis & epiſtolis apparet. In nummo argenteo Conſtantini cujuſdam Imp. aliàs à nobis edito, legitur hæc epigraphe: *Conſtantinus in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romanorum & ſemper Auguſtus.* In alio Johannis Palæologi, qui penultimus fuit novæ Romæ Cæſarum, talis: *Ιωάννησ βασιλεὺσ κὴ αὐτοκράτωρ Ρομαίων ὁ Παλαιόλογοσ.* Et Leo Imp Philoſophus Novella 59. Dominum ſe orbis terrarum, ceu unius familiæ jactat. Imò verò ſe ſolos Romanos haberi volebant;

& nostros Cæsares non aliter quàm Latinos & Francos dictabant, & Imperatorem nostrum ut novo ita inepto commento Ῥῆγα Ἀλαμανίας ἢ Φραγγίας, ut legimus apud Nicetam Choniaten, fol.236 & seq. Qua de re plura disseruimus in præfat. Juris Græco-Romani, & ad locum Laonici de Germania.

Sed quibus lamentis.) Constantinopoleos post Niceæ & Trapezuntis imperium eversum, lamentabilem obsidionem & excidium eo ipso ævo descripserunt peculiaribus libellis Magnus Logotheta Anopolites, Georg. Protovestiacius lib 3. Chroni c.17. Leonardus Chiensis Godfridus Langus, Æneas Episcopus Senensis epistola 130 & libello singulari Ligurinus lib 3. Austriados, Laonicus Chalcocondiles lib. 8 Macullus lib. 3 epigr. de exilio suo. De eadem epistolam Theodorii Zygomalæ edidit Crusius in Turco græcia. Sed & Leunclanius noster in continuatione Glycæ, in Pandectis, & Musulmana.

Anno 1420.) Oratio illa Æneæ Sylvii, inter epistolas ejus relata, habita fuit Francofordiæ in recenti cladis nuntio, An. 1454. Sed & Guido Papæ inter decisiones Gratianopol. quæst. 84. ubi quædam sua tempestate memorabiliter gesta annotat eundem captę urbis annuum ponit. Accuratè totam rem disquirit Mich. Beuterus animadvers. histor. c 8 & Illust Joseph Scaliger lib. 5. de emendat. temp. Tit. *De anno Constantinop. à Muhammede Turca captæ.*

CAPUT XII.

PAg 52. *De variis Magistratibus.*) Hæc ex fonte suo, Pandectarum primo & Codicis ultimis tribus libris petenda sunt. Sed & post Fenestellam & Pompon Lætum, diffuse hanc Reipublicæ aulæq; Romanæ [illegible] explicat Lazius in commentariis Reip Rom.

P. 54. per vicos ius reddi.) Hoc tamen est vetustissimum illud Centenarum institutum apud Alemanos & Francos, de quo vid. B. Rhenan lib 2. rer. German. fol. 88 Regnum quippe Francorum in Comitatus divisum erat, hi in Centenas: harum præses Centenarius & Centgrafius, assessores Scabini dicebantur. Nicolaus Cusanus lib 3 de concord. Cathol. c. 28. *Multis similibus sanis ordinationibus antiqui illi Imperatores pro conservatione Reip & Imperii usi sunt, tam in ordinandis judiciis Scabinorum, qui dictatores sententiarum existunt, & ad hoc ex popularibus cum juramento*

mento rectè secundum conscientiam & rationem iudicandi assumuntur, ne in potestate præsidentis esset ad nutum subiectos punire iuxta motum animi sui; quàm etiam in cunctis aliis negotiationibus, talliis & teloneis: & cuncta tenebant ad publicam utilitatem.

CAPUT XIII.

PAg. 55. *à Græcis translatione.*) Eo usq; enim Græci Imperium in Occidente etiam ipsaq: Roma tenebant. Ipsi enim mittebāt ad Romam ordinatos à se principes, ut Theodosius Valentinianum, Zeno Theodoricum Gothum, quem & Anastasius confirmavit. Et Exarchos suos Ravennam mittebant, regendæ Italiæ. Et Episcopos Romanos confirmabant, eosq; ob excessus suos castigabant ut de Johanne, Sylverio, Vigilio, Martino Pontificibus legitur. Percipiebant etiam tributum ex Roma & Italia: & occidens totus non alia tunc utebatur moneta quàm aureis Byzantinis, quorum frequens in annalibus & diplomatis mentio, & nomen apud Gallos notum *Besantz d'or.* Et anni per hos Imperatores numerabantur, & in datis omnium negotiorum publicorum subscribebātur. Quæ omnia subjectionis manifesta erant argumenta. Quin & fuit cum de reducenda veterem Romam imperii sede Principes cogitarent, ut de Constante Heraclii N. Diaconus. Zonaras & Glycas scribunt, dicere solito, *δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν.*

In Germanos.) Dicitur enim hodie. Romanum Imperium Teutonicæ nationis. Verè enim dicitur Natio Germania, si Varroni credimus nationem esse indigenarum qui in solo orti, non aliunde immigraverunt. Quales esse Germanos *αὐτόχθονας* Tacitus ipse testatur.

P 56. *Chronica ab Anastasio.*) Miscellæ titulo edita, libro 18. p. 589. Sunt verò eo de Muhamedis ortu & progressu, cum cæteris plerisq; verbotenus desūpta ex Chronographia Græca Theophanis Monachi: cujus hāc particulam Saracenicorum monitu edidit Fr. Sylburg. 1595.

P 57 *Landulphus*) alias Rodulphus de Columna, cujus extat libellus De translatione Romam Imperii.

Discordia circa venerationem imaginum.) Hanc defectionis Papæ ab Imperatore Leone caussā pleriq; scriptores afferūt etiā Græci Zonaras, Cedrenus, Glycas, Theophanes. Et tamē Carolū ipsum ab harum veneratione alienissimū fuisse, testatur non tantū Synodus ab eo Frā-

X 4

cofurti ſuper hac re contra Conſtantinopolitanã falsò ſeptimã dictã habita, cujus Annales pleriq; meminerunt; ſed etiã liber ſub ipſius nomine de ea reſcriptus, cujus fides præter vetuſta exẽplaria & primam editionem Pariſinam, vel ex ipſa Hadriani P.P. reſponſione, ſed inſuper & Hincmari Remenſis teſtimonio, & Nic Cuſani allegatione, extra omnem ſuſpicionis aleam eſſe poteſt. Titulus eſt talis: *Opus Illuſtriſſimi & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis viri, CAROLI M. nutu Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamq; ſive harum finitimas provincias Domino opitulante regentis; contra Synodum quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus ſtolidè ſive arrogantergeſta eſt.* Et de tota Francorum gente teſtimonium extat Ionæ Aurelianenſis lib. 2. de cultu imag. *Nunquidnam Galli atq; Germani?* qui cuicunq; picturæ adorationem non ſolum deferre detrectanr, ſed & adorantibus libera voce reſultant, eoſq; quanta poſſunt, invectione redarguunt, & ut ad ſanam mentem redeant, toto conamine elaborant. Nicetas ea parte Alemanos Armeniis comparat, ἀμφοτέροις αἰτίας ἐπίσης ἠλῶν εἰκόνων προσκύνησιν ἀπηγορεύκασι.

P.62. *Romano clero & populo.*) Hoc eſt quod annales veteres dicunt: *Carlus Auguſtus à Romanis appellatur.* Et Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone III. *Tunc univerſi fideles Romani videntes tantam diſſenſionem, unanimiter altiſona voce exclamaverunt &c:* in qua adclamatione & laudatione tum temporis etiam apud Conſtantinopolitanum populum, electio & approbatio Imperatoris conſiſtebat. ut in hiſtoria Miſcella Anaſtaſii paſſim occurrit. Addit Ado Viennenſis, & Regino, *perfectis laudibus à Pontifice, more Principum antiquorum, adoratus eſt: atq; allato Patritii nomine, quod primum in eadem urbe acceperat, Imperator & Auguſtus appellatur.* Quod notandum cenſeo.

Plurimos Comites, Barones.) Hinc eſt quod non nulli Germanorum procerum originem Romanam à neſcio quibus Urſinis aut Columnis adhuc affectant.

Legatos miſit.) Miſſos illa ætas vocabat, Francicè *Ambachte*, voce veteri Celtica, unde manet hodiernum Ampt/ & Amptman. Unde apparet, quomodo deinceps *Ambaſiatores* dicti ſint, etiam qui extra regnum ad alios Principes mitterentur.

Religionem etiam) Quàm accuratè, ἐυτάκτως, divinas pariter humanaſq; res Carolus ille M. diſpoſuerit, nil melius quàm Capitula illius ab Auſegiſo Abbate collecta, quæ in manibus hominum extant, teſtari po-

ſtari poterit. Unde & illa elogia meruit, ut diceretur *Piiſſimus, Christianiſſimus, rector veræ religionis, defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ, princeps & imperator orthodoxus.*

Eccleſiam Aquiſgrani erexiſſet.) de qua ita Eginhardus: *Opera plurima ad regni decorem & utilitatem pertinentia diverſis in locis inchoavit, quædam etiam conſummavit. In quibus præcipua videri non immerito poſſunt Baſilica S. Dei genitricis, Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno.* Itaq; Aquiſgranum ceu præcipua Imperii Francici ſedes, non aliter atque olim Conſtantinopolis, Nova Roma excitari viſa eſt: ut illius temporis poëta canit, ſive Ferius Helpericus is eſt, ſive Alcuinus:

Auguſtus, ſed & urbe potens, ubi Roma ſecunda
Flore novo ingenti magna conſurgit ad alta,
Mole, tholis, muro præcelſis ſidera tangens.
Stat pius arce procul Carolus loca ſingula ſignans,
Altaq; diſponens venturæ mœnia Romæ.
Hic iubet eſſe forum, ſanctum quoq; iure ſenatum,
Ius populi & leges ubi ſacraq; iuſſa capeſſant.
Inſiſtitq; operoſa cohors: pars apta columnis
Saxa ſecat rigidis, arcem molitur in altum.
Effodiunt portus, ſtatuuntq; profunda Theatri
Fundamenta, tholis incendunt atria celſis.
Hic alii thermas calidas reperire laborant,
Balnea ſponte ſua ferventia mole recludunt,
Marmoreis gradibus ſpecioſa ſedilia pangunt.
Fons nimio bullentis aquæ fervore calere
Non ceſſat, partes rivos deducit in omnes
Vrbis. At æterni hic alii bene Regis amœnum
Conſtruere ingenti templum molimine certant.
Scandit ad aſtra domus muris ſacrata politis.

Et poſtea: *Fit ſtrepitus, magna conſurgit ſtridor in urbe,*
Itq; reditq; operoſa cohors, diffuſa per urbem
Materiam Romæ certatim congregat altæ.

Cæterum valde notabile eſt, quod Chronicô Treverenſe vetus m.ſ. in Fortunato LXIIII. Treverorum Archiepiſcopo annotatum habet, *huius tempore*, inquit, *Karolus Magnus marmor multum & muſcum plu-*

rimum (musiuum dicit) *Aquisgrani advexit de Treviri, & ad vicissitudinem B. Petro Trevirensi multa donaria redonavit.* Cæterum miram hac de re fabellam refert Franc. Petrarcha epist 3 lib. 1. Æneas Sylvius in Germania: *Aquisgranum, Germanici regni sedem: ubi Palatium illud tota Germania nobilissimum, Cæsarum qui ex Teutonicis petiti sunt, egregias ex lapide statuas ostentat: & & delubrum insigne, in quo Reges ungantur.* Ab eo urbs ipsa ad discrimen aliarum ejus nominis Gallis *Aix la chapelle* dicitur.

P. 63. *Sedes regni trans alpes*) ut cis Alpes Roma & Mediolanum, utraq; etiam coronationi Cæsareæ destinata.

Sepultus) Hoc elogio: *Caroli Magni Christianissimi & Orthodoxo Romanorum Imperatoris, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos 47. feliciter rexit, corpus hoc cōditum est sepulchro.* Quod postea curiositate quadam non probanda refossum & inspectum fuit ab Ottone III. Imp. & Friderico quoq; primo, ut Tilmanus & Godefridus S. Pantaleon monachus annotarunt.

Qui & Alemaniæ.) Habuit enim Carolus velut in patrimonio suo, regna Franciæ utriusq; Orientalis & Occidentalis, & Marte adquisivit insuper Saxoniæ, Bojariæ, Pannoniæ, aliasq; terras, ut docet Lupold. Bebenpurg c 1 & seq.

P. 64, *Villa Ingelnheim*) Locus palatio regali (quod Saalam etiamnum incolæ vocant) clarus, & jam inde in annalibus frequēs: situs inter Moguntiam & Bingiū, non longè à ripa Rheni, quà Saltza fluviolus Rheno illabitur, hodie ditionis Palatinæ De solo autem nativitatis Caroli nihil firmum habemus, quem alii Ingelhemum, alii Fruxinum, alii etiam Leodium, alii Carolenburgum in superiori Bavaria constituunt. Germanum quidem natum fuisse, etiam Æneas Sylvius in Europa annotavit, & Wimpheling. in Epit. Germ. c. 22 multis argumentis evincit. Nomen certe CAROL merè Germanum esse alibi docuimus: & amavit ipse præ cæteris loca Germaniæ, curiam in Ingelheim, sepulturam in Aquisgrano eligendo.

Pipini Palatium in Treveri.) Eundem alii scribunt (in queis Jordanus Padebornen.) Principale domicilium suum in Colonia Agrippina habuisse, in loco ubi nunc est Monasterium S Mariæ in Capitolio. De hoc autem Palatio Treverico ita scribit F. Johan Scheckmannus in Medulla gestor Trever. c. 2. *Est & alia vetustissima habitatio intra Vrbis mœnia, quod Palatium appellatur, altis muris, magnis perspicuis fenestris, ex duris Lapidibus*

pidibus quos lateres nominant ædificatum: in quo locus est habitationis & residentiæ Domini Archiepiscopi Trevirensis. Inibi horribiles lacus & carceres, quibus mancipantur custodiæ qui ob facinora sua interimendi veniunt. Coniuncta est & illi antiquissima fabrica alia nova, digna principe habitatio, præclaris aulis, perlucidis stubis. Idem Palatium, ut prisca edocent scripta, regalis sedes fuit & habitatio: quod maximè ex epistola quadam D. Ambrosii elicitur, ubi refert se Maximum Imp. inquisivisse in palatio ubi manebat. Et hoc est magnum illud Palatium Treverense, cujus auctor noster meminit etiam infra pag 74 ad differentiam Palatioli, Treverorum suburbani oppidi & castri, ad sinistram Mosellæ ripam, medio ab urbe milliari distantis: quod *Pfalzel* hodieque vocatur. In illo magno Palatio sub Francorum Regibus, & diu postea, Palatini comites sedem habebant: qui & perpetuam urbis illius præfecturam sive advocatiam gerebant; à qua regio illa urbis circa Palatium die Graffschafft etiamnum vulgò vocatur. Catalogus Archiepiscoporum Treverensium m. s. Imperatores è regione oppositos habens, in Anastasio Imp. *Pipinus senior, maior domus, id est Palatii Treverici obiit. Successit Carolus filius eius anno Dom.* DCCXVI. Et in Clodolpho LVIII. Archiepiscopo: *Karolus Martellus Pipini filius, maior domus, à Palatio Treverico sic dictus, obiit, relinquens filios tres, Pipinum, Karolum, & Grifonem. Qui Pipinus, Dux Alemanus, Agrippinensis & Trevirensis, regnum Francorum est adeptus isto modo.* Ita & in veteri historiola legimus, de fundatione ædis Frawenkirchen in diœcesi Treverensi: *Temporibus B. Hildolfi Treverensiis Archiepiscopi, qui Palatio Offendinck residebat, factum est Passagium contra paganos: Erat autem in palatio Trevereusi nobilissimus Palatinus nomine Sifridus Christianissimus, qui sumpsit sibi uxorem de stirpe regia, filiam Ducis Brabantiæ, nomine Genofeva, pulcram nimis.* Qui locus apprimè huc facit: cum Hildulfus ille, qui quinquagesimus nonus numeratur, & anno 754. mortuus scribitur, sub primæ stirpis Francorum Regibus vixerit. An verò ab illo potissimum Palatio Comitum Palatinorum Rheni nomen & dignitas descendat, ut hic innuit Andlous. & infra pag. 74 latius est à nobis pertractatum in originib. Palatin. c. 2 & 11.

Pag 85. *Francorum primam sedem.*) Quod etiam Græcis notum. Οὐ γάρ τι τῶν Ῥωμαίων γένους οἱ φράγγοι (ait Zonaras Tomo 3) ἀλλά

γερμανικὸν ἔθνος Ἰούτους εἶναι φησὶ, τὴν ποικίλην ἱστορίαν ὁ Καισαρεὺς Προκόπιος συγγραψάμενος, περὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν, καὶ Ῥόδανον, καὶ τὰς ἐκεῖσε λίμνας πάλαι κατῳκημένον. Et Agathias lib 1. ἀμφὶ Ῥῆνον ποταμὸν οἰκοῦσι καὶ τὴν ταύτῃ ἤπειρον ἔχουσι γε καὶ Γαλλίων τὰ πλεῖστα, οὐ πρότερον περὶ αὐτῶν καλού-μενα, ἀλλ' ὕστερον ἐπικληθέντα. Imò ante hos Libavius ſophiſta encomio Conſtantii Imp. ad Senatum: ἔστι γένος κελτικὸν ὑπὲρ Ῥήνου ποταμοῦ ἐπ' αὐτὸν ὠκεανὸν καθῆκον οὕτως εὐπεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα. ὥστε προσηγορίαν ἀπ' αὐτῶν ἐνεγκάμενοι τῶν πράξεων ὀνομάζονται φρακτοί. &c.

Vtrobiq; manere.) vide notata infra ad pag 69.

Caput XIV.

L*Egia dicitur*) Leodium, *Liege* Gallis. Totam hanc hiſtoriam exſcripſit auctor ex Jordani Padeborn. lib. de translat Imp Rom de qua nihil apud Clementem Romanum, neq; Abdiam Babylonium, aut alios antiquiores Maternum quidem à B. Petro Apoſtolo miſſum Treverenſi Eccleſiæ hereditatem pallii ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe, ſcribit Rupert. Tuitiens. de divin. offic c. 27. Eundemq; Coloniæ ſepultum, tradit Martyrologium ad 14. Septemb. B Petrus civitatis Treverorum patronus, cum Materno illo, paſſim ibidem in lapidibus, portis, valvis, atq; etiam ſigillo publico conſpicitur.

Caput XV.

P 67. *Alii Italiam ſub Ænea*) Romani origine Trojana gloriabantur. Juſtinus lib 31. *Cum ingreſſi Aſiam Romani Ilion veniſſent, mutua gratulatio fuit, Ilienſibus Æneam cæteroſque cum eo duos à ſe profectos, Romanis ſe ab his procreatos referentibus. &c.* De Julio Cæſare aliquando fama percrebuerat, *migraturum Ilium, translatis ſimul opibus imperii, exhauſtaque Italia debilibus & procuratione urbis amicis permiſſa.* Hinc eſt quod Ilienſibus, (unde omnis claritas, ut ait Plinius 5. cap 30.) propter inditam nobilitatem civitatis, & conjunctionem originis Romanæ, antiquitus Senatuſconſultis & conſtitutionibus Principum pleniſſima immunitas tributa fuit l. 17. §. Ilienſibus D. de excuſation. tutor. l. penul. §. 1. D. de vacat. numer. Quàm & Claudius Cæſ. eis confirmavit, auctore Tacito lib. 4. Idem Tacitus 12. Annal. de Nerone,

rone. *Causa Iliensium suscepta, Romanum Troia demissum, & Iulia stirpis auctorem AEneam, aliaq; haud procul fabulis vetera facunde executus, impetrat ut Ilienses omni publico munere solverentur.* Additum & illud, ut qui matre Iliensi esset, municeps eorum fieret ex privilegio l. 1. D. ad municipal. Minerva Iliensis heres institui testamento poterat. ut scribit Vlpian. in Regul. Qui hæred. instit. poss. §. Deos. Livius lib. 37. *Sacrificavit Minervæ præsidi arcis, & Iliensibus in omni rerum verborumq; honore ab se oriundos Romanos præferentibus, & Romanis latis originne sua.* Panegyricus Flaviensium Constantino Imp. dictus: *Imputavere se Romanis origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses.* Adde in Gallia Arverni (cujus verba repetit Sidonius epist. 7. lib 7.)

Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi:

Alii in Germaniam.) & Gallias, quæ olim coniunctæ nationes, Celticæ nomine. Marcellinus lib. 15. ubi de Gallorum origine, regionibus, moribus eleganter differit: *Druidæ memorant, revera fuisse populi partem indigenam: sed alios quoque ab insulis extimis confluxisse, & tractibus trans-Rhenanis, crebritate bellorum, & alluvione fervidi maris sedibus suis expulsos. Aiunt quidam paucos post excidium Troiæ fugitantes Græcos ubique dispersos, loca hæc occupasse tunc vacua.* Neque enim solus Antenor & Æneas elapsus Achivis: sed huic ingentem comitum affluxisse numerum in quasvis terras deduci paratum, & diversa exilia & desertas quærere terras auguriis actos divûm Maro ipse loquitur. Sed de Græca origine Germanorum testatur Tacitus. Et sanè quid proclivius, quàm Teutones à Teucris, Frisios à Phrygibus, Misnenses à Mysis, Thuringos à Tyrigedis, Saxones ab Axinis deducere?

Pag. 68. *Patrio nomine Troiani.)* Hanc nihil aliud esse quam Gloriam illam veterem Trajanam, in Itinerariis & historiis Romanis notã, prolixè & eleganter evincit Steph. Pighius Campens. in suo Hercule Prodicio, pag. 81. & seq. Neq; fluvium ibi locorum extare Xanthum nomine; sed vetera Castra hodie *Santen* appellari, non alia caussa quàm ob reverentiam martyrum è Thebea legione, quas Maximianus Cæs. ibi trucidari Helena verò Constantini M. mater constructa ibidem basilica sepeliri jusserit: & quod in Ipsorum Martyrum historia legitur, oppidum illud Trojam appellatum fuisse, id merum eius scriptoris Franci hominis comentum esse, jamdudum

obſervavit Hermannus Comes Newenarius in Commentariolo Galliæ Belg.

Vrbs Europæ antiquißima.) De Treverorum antiquitate multa apud Irenicum, B. Rhenanum, Kyriandrum. In oppido Soloduro legitur epigramma turri vetuſtiſſimæ inſcriptum:

Non eſt in Celtes Soloduro antiquior unis
Exceptis Treveris, quarum ego dicta ſoror.

A Trebeta Nini F.) Pervulgata hiſtoriola apud Sigerbertum, Friſingenſem, Urſpergenſem, Æneam Sylvium, de qua & verſiculos referunt: *Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix.* — Cæterum ne hoc loco quis de Treveris dubitet, Gallis an Germanis ſint accenſendi, ipſi jam olim qui ſint profeſſi, auctore Tacito: *Treveri & Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.*

Marcomete & Sunone Ducibus.) Hæc quidem ita Vernaculi Francorum ſcriptores Aimonius, Turonicus, Sigebertus, Ado, Iuo Carnetenſis, Gaguinus. Francum Hectoris F. primus protulit ex Beroſo & Metaſtene ſuppoſititiò Annius Viterbienſis: Sicambriam ex Hunibaldo Trithemius. Quæ ſæculi indocti figmenta falsè ridet & exagitat Hermannus Comes Newenarius libello ſingul. De Francorum origin. & Hadrian. Junius in Batavia cap. 9. Ne poſteriores illos accuratos ſcriptores hic allegem, Papir. Maſſonum, Fr. Hotomannum, Johan. Titium, Claud Fauchetum. Neque neſcio quæ notavit Turnebus lib. XXIIII. Adverſar. cap 37.

A Meotidis Paludibus.) Sicambri gens antiquiſſima & fortiſſima; quorum propago Franci *invius* (ut Vopiſcus loquitur) *ſtrati paludibus* eas regiones colebant, quæ hodie Holland, Seeland, Perlamel dicuntur: Unde *Paludoſos* Propertius, *& Paludicolas* Claudianus appellat, & Sidonius: *Francorum penitiſſimas paludes intrares venerantibus Sicambris.* Inde erroris cauſam & fabellæ originem de Mœotidis paludibus argutè detexit Hadr. Junius. Francos tamen, ſi non inde progreſſi, eo uſque excurſiones feciſſe, memorat Panegyriſtes ad Maximianum Imp. *Recuſabit illa Francorum incredibilis audacia, qui a Ponto uſque correptis navibus Græciam Aſiamque populati, ut impune pleriſque Lybiæ littoribus appulſi, ipſas poſtremò ceperant Syracuſas: & immenſo itinere pervecti, Oceanum quà terras rupit, intraverant.* Et paulò poſt: *Nunc ſecura eſt, ut*

de latere

de latere Gallico taceam, quamvis penè conspicuis littoribus Hispania, nunc Italia, nunc Africa, nunc omnes usque ad Mæotidas paludes perpetuis curis vacant gentes.

Pag 69. *Valentinianus.*) Mirum hoc tam constanter à Frisingensi, Viterbiensi, Carnetensi aliisque annotatum, non legi apud Ambrosium, Marcellinum, Sext. Victorem, Orosium, Paul. Diaconum, qui Valentiniani res scripserunt: neque Sextum Rufum, Vegetiumque, qui ad illum scripserunt: neque Græcos, Cedrenum, Zonaram, Theophanem.

Francos, id est, feroces.) An Græcè loqui solebat Valentinianus, in Occidente imperans? & cur Græcum potius quàm Latinum nomen Germanis indidisset? Et quæ illa lingua Attica (Antica mihi potius in mente) Gerræ Germanæ, & Franco jam ante γῆς Probo Imp. Romani nórant, Vopisco teste.

In Gallia per suos Præsides.) Ad Rheni limitem neque sub nomine Galliarum ditionem omnem Romani tenebant, per Præfectum prætorio gubernatum. Et omninò Præfectura prætorii Galliarum tres Vicarios habebat. Primus Vicarius septem provincias administrabat, utramque Germaniam, utramque Belgicam, utramque Britanniam, & Flaviam Cæsariensem. Secundus, quinque, quatuor Lugdunenses, & Maximam Sequanorum. Tertius septem, Viennensem, utramque Narbonensem, utramque Aquitaniam, Novempopuloniam Alpium maritimarum; quæ septem nomine Septimaniæ comprehendebantur. Uti ex notitia Imperii, Catalogo Provinciarum, Constitutionibus & historiis Imperatorum discitur. Fuit autem, cum Germania in duas divisa, superiorem & inferiorem, duos præsides haberet. l. 3. D de offic. adsessor. L. ult. D. de censib. Suetonius in Domitiano cap. 6. *Bellum civile motum à L. Antonio, superiori Germaniæ præsidi, confecit absens.* Ammian. Marcellin. lib. 15. *Regebantur Galliæ omnes iam inde ut crebritate bellorum urgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes divisa quatuor: quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat & Lugdunensem: altera Aquitanis praerat universis: superiorem & inferiorem Germaniam Belgosque duæ Iurisdictiones iisdem rexere temporibus.*

Totam Galliam cum Germania.) Imperabant ad utramque Rheni

ripam Franci victores, quarum prius quæ sinistra & occidentalis in Gallias protensa, Latina & Romana; quæ dextra, Barbara audiebat. Claudianus:

Dolebat Rhenus, quà barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur iudice ripis.

Illam *Romaniam*, hanc *Barbariem* nominabant. Eumenius Rhetor ad Præsid. Galliar. *Aut hæc ipsa quæ modò desinit esse Barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta desiderat, quàm si eam circumfusa flumina, & mare alluens operuisse.* Narius ad Constantinum: *Iacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa Barbaria, per se potens natio, & post Romanam magnitudinem in terris secunda.* Idem ibidem: *Quid memorem Bructeros, quid Chamavos, quid Cheruscos Vangiones, Alemanos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina, & immanitas Barbariæ in ipsis vocabulis adhibet terrorem.* Orosius lib. 7. cap. 43. *Essetque (ut vulgariter loquar) Gothia, quod Romania fuisset.* Sed postea Francico juri etiam illa Romania cessit: & hoc est quod Chariberto Regi Francorum gratulatur Venantius Fortunatus lib. 7. Eleg 4.

Hinc tibi Barbaries, illinc Romania plaudit:
Diversis linguis laus sonat una viri.

Franci Francigenæ.) Ut nostro idiomate diversa sunt Francken & Frantzosen / Francones & Francisci. Habebant (ut hoc obiter addam) Franci in armatura sua spatæ aut bipennis genus maximè ipsis usitatum, quod Agathias ἀγκῶνα ipsi *Franciscam* vocabant, apud Aimon. lib 1. cap. 12. ut apud Saxones longiores illi cultri seu machæræ Sachs dicebantur, auctore Witichindo.

Germanos à gigno.) Germanos antiquitus quasi fratres Celtarum, dictos putarunt Græci, Strabo, Ptolemæus, Eustathius in Dionysium: γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ρωμαίων διάλεκτον.

Immania corpora) Manilius lib. 4.

Et stupefacta suos inter Germania partus.

Et ibidem:

Flava per ingentes surgit Germania partus.

Tâcitus in Germania: *Omnibus truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora & tantum ad impetum valida.* Idemque in Agricola: *Rutilæ Calcedoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem adseverant* Columella lib. 3. cap. 8. *Germaniam rerum natura decoravit altissimorum hominum*

hominum exercitibus. Persius: *ingentesque locat Cæsonia Rhenos,* id est, Rhenanos, ut eleganter exponit Casaubonus. Sed omittere hîç non possum mirabilem opinionem quàm de Francis Græci habebant, illos in spina dorsi pilos setasve instar aprorum habere, & τριχοράχατες inde dicebant, ut scribit Cedrenus fol 373. & ex eo retulit auctor Historiæ Miscellæ lib. 22. pag. 691. Plerique statura sex pedes excedebant. cum apud Romanos legendo tyroni quinque & semis sufficerent (quod eleganter observavit Cujacius. lib. 21. observat 5.) ut Sidonii illud probat: *Spernit semipedem stylum Thalia, Ex quo septipedes videt patronos.* Et alibi: *Hic Burgundio septipes frequenter.* Hinc Romanis non potuerunt non esse formidini. Horatius: *Quis Germania quos horrida parturit fœtus incolumi Cæsare, quis feræ bellum curet Iberiæ?* Vegetius: *Quid adversus Germanorum proceritatem nostra brevitas potuisset?* Jornandes lib 1. cap. 3. de Gothis loquens, *Hæ itaque gentes Romanis corpore & animo grandiores infesta sævitia pugnæ.*

Pag 70. *Cimbrorum philosophia)* & Celtarum omnium, quos omniũ hóminum φιλοκινδυνοτάτους, ideo Ælianus vocat lib. 12. var. hist cap. 23. & Lucanus.

Pag. 71. *Plurimi ex Romanis.)* Et vicissim ex Teutonicis familiis Gonzagæ. Vicecomites. Scaligeri, Columnenses, Malatestæ in Italiam; Sabaudiæ, Salutiæ, atque Montisferratensis in Galliam commigrarunt: quas ipsas gentes è Germania nostra in illas sedes transtulisse Imperatores nostros, & censu atque honoribus auxisse certo certius est. ut scribit Julius Pflug. Episcop Naumburg. in Orat de Republ. German.

Pag. 72. *March. de Baden.)* De horum origine & genealogia, vide Lazii de migration gentium lib. 8 fol. 507.

Ropelstein) Legend Rapolstein, quos quidam à rupe Spoletana dictos putant Laz. ibidem lib. 3 fol. 141.

Pag. 75. S. Richardis) Uxor Caroli III. Crassi Imp. Martyrologium XVIII. Septembris: In Germania monasterio Andelaha, depositio S. Richardis Imperatricis, conjugis Caroli Crassi, & virginis. De eadem Regino & alii, sub Anno D. CCC. LXXXVII.

Caput XVI.

PAg. 74. *Quatuor illustres familiæ.*) Tessaraprolos possis dicere. Verum hæc quaternaria procerum & ordinum Imperii distributio, utut vetustatem quandam redolere videatur, & in oculis & ore vulgi frequens appareat: idoneum tamen fundamentum nullum habet. Onuphrius Panvin. in lib. De Comitiis Imperator. cap. ult. eadem hæc habet, nisi quod in quibusdam variat, plura etiam addit.

Primus Comes Palat.) Bavariæ Ducem vult dicere, qui Ducatus jam dudum junctus & unitus Palatiniani Rheni Vide sis Orig. Palatin cap. 12.

Dux Lotharingiæ in Gallia.) Sic dictæ, quod olim in divisione posterorum Caroli M. Lothario obvenisset. Ea in confinio Germaniæ sita, & utraque peræque lingua Germanica Gallicaque utens (*unde Bilingues Lotharingos* Brito Americus Poëta vocat) pars imperii non dubia fuit, ejusque Dux inter primos insigniores (ut hic apparet) relatus. Demum Anno M. D. XLII. Comitiis Noribergensibus inter Imperium & Lotharingiam certis conditionibus transactum.

Dux Sueviæ.) Cujus domus penitus defecit in ultimo duce Conradino Friderici II. Imp filio, indigno fato apud Neapolin securi percusso. Vide Felic Fabri historiam Suevorum lib. 1. cap. 12. Wimpheling. in Epito. German. cap 40. Crusium in Suevicis lib. 2. Part 3. cap. 19 & orationem de illo peculiarem N. Cisneri.

Alium præficere.) Hodie Suevici circuli (qui vocatur). Princeps est Dux Wirtenbergensis. At titulum Sueviæ Ducatus domus Austriaca sibi usurpat. Tempore interregni vel absente Cæsare Vicariatum per Sueviam & Rheni tractum gerit Palatinus.

Burggravius Nürnbergens.) Noricum castrum vocat Otho Frisingensis, & Guntherus, non uno loco; alii *Noricum montem*, ut legitur in epitaphio Ruperti Regis. F. Andreas presbyter Ratisbonensis in Chronico Bavariæ annotat, Anno 1427. Fridericum Burgravium Nurenbergensem, qui à Sigismundo Imp factus fuerat Marchio Brandenburgensis, castrum suum Nurnbergense, quod situm fuit ibidem in monte juxta Castrum Imperatoris, civibus vendidisse:

quod

quod ab ipsis statim fuerit dirutum & sic deletum, ut vestigia eius amplius non appareant. De quo Joh. Cochlæus in descriptione Germaniæ cap. 5. ubi de Noriberga agit; *sunt arces in eo colle duæ: una Cæsaris domicilium, in qua Fridericus III. hortos pensiles olim constituit: altera Marchionum olim sedes, quæ nunc formam arcis non habet, sed domus frumentaria illic extructa est.*

Stromburgensis.) Castrum est antiquissimum eo nomine in pago Hunesruck, inter Simeram & Crucenacum, turri rotunda & firma insigne, præfecturam magnam annexam habens, hodie ditionis Palatinæ. Olim dicebatur, der Saal zu Stromburg/ quod notat regalem locum fuisse.

De Rinceк.) Hodie in ditione Comitum Hanaviensium.

Pag 75 *Comes Ciliæ*) olim Cæliæ: familiam enim veterem Romanam fuisse non dubito. Vide Laz. lib. 6 De migrat. Gent. fol. 230. De ultimo Comite Ciliæ Vdalrico à filiis Johannis Huniadis per insidias trucidato, vide Æneam Sylvium in Bohem. cap. 6 & sequent.

Civitates insignes.) Civitates eiusmodi imperiales & liberæ, quas hodie vocamus, olim sub primis Francis & Regibus Villæ publicæ dicebantur, ut in diplomatis legimus: veluti quæ regni & Reipublicæ essent, non Principum, comitum, Ecclesiarum.

Augustensis Rhetiæ) Ita in sigillo civitatis: S. AUGUSTÆ, RHETIÆ. in monetis verò: AUGUSTA VINDELICORUM. Innumero igitur eximiarum quatuor urbium è liberis Imperii civitatibus, & metropoleon, cum Augusta relata sit, magnum id ipsum dubio procul haberi poterat: at cum relata fuerit præterea loco principe, quid Germaniæ de illa universitas senserit, abundè profectò testatum reliquit, neque ei rei cujusquam interpretatione opus: ait incomparabile eiusdem decus & ornamentum Marc. Welserus rer. August. Vindel. lib. 5. in fine.

Maguntia) aliis Metensis, quæ olim Diviodorum Mediomatricum.

Aquisgranensis.) Hinc imperii huius fundator Carolus M. omnibus aliis præposuisset pro summo in eam affectu. Unde colligere licet, recentiorem hanc distributionem esse.

Villæ) Pagos vult dicere Dörffer. Id quod propriè est villa Jureconsultis, & Rutilio: *Nunc villæ grandes, oppida parva prius.* Deinceps verbum degeneravit apud Gallos, ut oppida, civitates, municipia, *villæ* illis sint.

Germanorum) Onuphrius malè, *Confluentiæ.*

Hæreditarii officiales) *Dapiferi, Mareschalli, Camerarii, Magistri coquinæ, Venatores.* Vide infra ad lib. 2. cap. 15.

Germanorum potentia) Quæ divisa sive descripta (de quo nihil hîc auctor) in sex provincias, Franconiam, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Rheni tractum, Burgundiam, Austriam, Westphaliam. Insuper Saxonia in superiorem & inferiorem, Rheni tractus in superiorem & Electoralem dividitur. Hisce decem regionibus sive circulis (*vulgo* Kreyse) Germanicum Imperium jam circumscribitur.

Pag. 76. *Si Principes Imperatoris.*) Idem judicium Græco homini fuit, Laonico Chalcondylæ, lib. 2. rerũ Turcicar. ubi descriptionem & elogium habet Germaniæ, quod alibi edidimus: ἔστι δὲ γένος τοῦτο μέγα, καὶ ἐπὶ πολὺ διῆκον τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην: ὡς εἰ ταὐτὸ φρονοίη ἐφ' ἑνὶ ἄρχοντι ἡγεμόνι, ἀμαχητόν τε ἂν εἴη καὶ πολλῷ κράτιστον. Huc pertinet proverbium, sed omen absit: *Cariam multitudo principum perdidit.*



AD LI-

AD LIBRUM II.

CAPUT I.

P 77. *De VII. Electorum institutione.*) Hoc argumentum singulari libello diligentissimè tractavit Simon Schardius J C. & Cameræ Imperialis Assessor, cui titulum fecit: *De Principum quibus electio Imperatoris in Germania commendata est, origine seu institutione*: in quo recentiorum quorundam præsertim Onuphrii Pavinii sententia refutata, communis opinionis (quam etiam Andlous noster hic sequitur) veritas defenditur. Idem etiam accuratè tractat, Nicolaus Cisnerus JC & Assessor in Oratione quam de Ottone III Imp. & institutione Electorum edidit. Sed & Mich. Beuterus in Animadvers. Historic. c. 13.

P 78. *Ludovico IIII. ultimo.*) In vetustissima & optima illa mea Chronica Francorum ita lego: Anno DCCCCX. *Hic Ludovicus iuxta quosdam Karolorum ultimus in Teutonico regno imperantium: iuxta quosdam verò Conradus qui post hunc regnavit, ultimus computatur: à quibus & pater huius Conradus Adelberto interfectus, frater huius Ludovvici fuisse æstimatur.* Godfridi Viterbiensis versus sunt:

Ultimus iste fuit Carolorum sanguine cretus:
Sed tamen à latere stemmata Carlus habet.

Hugo dictus capet.) Videsis Papirii Massoni Annalium Francic. lib. 2. Extat de hujusce Hugonis origine & atavis, illorumq; cum antiquis Francorum Regibus agnatione & gente, libellus singularis Mat. Tampini Recanatens. Paris. 1581.

De Alemaniæ Principum) omnium, Laicorum & Clericorum. Chronicæ Francorum sub Anno DCCCCXI. *Defuncto Rege Ludovvico cum non esset ei filius, omnis Saxonum & Francorum populus quærebat Ottoni Duci diadema regni imponere. Sed ipse quasi iam gravior, onus imperii recusavit. Tamen eius consilio supra memoratus Conradus quondam Dux Francorum unctus est in regnum: penes Ottonem tamen summum semper & ubiq; vigebat imperium.* Ita eadem de Othone M. sub Anno DCCCCXXXVI. cum ab omnibus Princi-

pibus & populo Francorum electum: quæ etiam verba sunt Witichindi lib.2. Et Hrosvvitha de eodem: *& voto cuncti iam respondente popello Vngitur in Regem.* Imò etiam de Friderico I. quasi nondum notis electoribus, ita scribit Guilermus Brito lib.3 Philippidos:

> *Est etenim talis dynastia Theutonicorum,*
> *Vt nullus regnat super illos, ni prius illum*
> *Eligat unanimis cleri procerumq; voluntas.*

Alemania separata) Guntherus lib 1 Ligurini:

> *At simul a nostro secessit Gallia regno,*
> *Nos priscum regni morem servamus: at illa*
> *Iure suo gaudet, nostræ iam nescia legis.*

De quo & plura vide infra ad Pebenburg. pag 50.

Reges Romanorum) nec aliud nomen usurpabant: imò *Reges* simpliciter plerunque se dicebant, vide not. ad Lupoldum Bebenpurg. pag.39.

Pag.79 *Gregorii V. tempore.*) Papirius Massonus diligentissimus scriptor, ponit Electores institutos à Sergio Papa IV. in Episc. Rom. pag 172 b. Cæterum de Ottone III. & Gregorio V. communis & constans est traditio, non solum Chronographorum Germaniæ, quos enumerare longum foret, quibus annumerare licet etiam Martinum Polonum, Antoninum Florentinum, Math. Westmonasteriensem, Joh Facagnioram aliosq; extraneos: sed etiam Jurisconsultorum, è quorum numero Alberic. de Rosate in Lex. verbo Electores, Restaur. Castaldus de Imp erat q.8 Alphons Alvarez Spec. Pontif Imp. c.56 Belluga Spec Princip. rubr 14 §. veniamus. num 23 Lancelot. in temp. Iudic. lib. 1 §. 2. tit. de Elect. è Gallis, Chassaneus in Glor. Mundi, Choppin. de doman. Franc. lib. 2. tit. 14. num. 14. & tit. 26. num. 3. Petr. Gregor. lib. 6. de Repub. cap. 13. & lib. 7. cap. 19. & alii complures.

Quatuor laici, tres clerici.) Qui numerus ad tam strictam observantiam redactus est, ut cum Maximilianus I. Imp. aliquando Electores pertentaret, quo jus suffragii in electione Imperatoris Archiducibus Austriæ communicarent, nihil effecerit, ut scribit Hartman. Maurus de electio. Caroli V.

Rex Bohemiæ, olim Dux.) Aliquoties regium nomen Duces Bohemiæ

hemiæ à Cæsaribus acceperunt: Wenceslaus ab Ottone M. Wratislaus ab Henrico IV. Vladislaus à Friderico I. Odocharus à Philippo, Wenceslaus à Rudolpho I. Cæs. ut Cosmas Pragensis (à nobis primùm editus) Æneas Sylvius, & Dubrauius in Bohemicis, Helmoldus in Slavicis, & alii alibi scribunt.

Pincerna.) In regia Francorum aula *Scantio* dicebatur, ille à poculis, pocillator, unde mansit Francogallicum *Eschanson* & in Concilio Toletano legitur *Comes Scanciarum*, ut notavit Fr Pithæus. Græci πιγκέρνην dixerunt: cui παρόχοι sui τὰ ψυκτήρια φέροντες, à Cyathis asseclæ refrigeratoria ferentes apud Georg Codinum.

Archidapifer.) sub Conrado illo Rege Witichindus scribit. aliis alia curantibus, Eberhardum Comitem potentissimum in Francia mensæ præfuisse, id est, architriclinum vel archidapiferum egisse. Is Græcis fuit ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης, & ὁ δομεστικὸς τῆς τραπέζης apud G. Codinum, quorum officium ille describit pag. 109. Nicephorus Gregoras libro 8. Ὁ δὲ Ῥωσικὸς τήν τε στάσιν καὶ τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης παρὰ τοῦ μεγάλου κεκλήρωται Κωνσταντίνου: ὁ δ᾽ ἐκ Πελοποννησιακὸς τὸ τοῦ πρίγκιπος, ὁ δὲ τῆς Ἀττικῆς καὶ τῶν Ἀθηνῶν ἀρχηγὸς τὸ τοῦ μεγάλου Δουκός, ὁ δὲ τῆς Βοιωτίας καὶ τῶν Θηβῶν τὸ τοῦ μεγάλου πριμικηρίου, καὶ ἄλλοι ἄλλα. In hisce officiis quos ritus ministrandi singuli servarent, infra exponetur c. 15.

Portitor ensis) Mareschallus Ita apud Byzantinos fuerunt *Spatarii*, & *Protospatarii*, qui & *Spatascrii* alicubi dicuntur. Olim Præfectus Prætorio gladium Imperatori præferebat, in signum meri imperii, de quo multa Pet Faber lib 1. Semestr. c 3.

Camerarius.) Cubiculi regii custos, fisci præfectus, cujus Insigne sceptrum. olim etiam clavis. Apud Græcos *Caniclinus*, ὁ ἐπὶ τοῦ κανικλείου Guntherus VIII. Ligurini:

Hic Caniclinus erat, nobis Camerarius idem

Esse potest) Porrò apud veteres etiam Cæsares Romanus Præfectus sacri cubiculi summæ erat dignitatis, exæquatus ipsi Præfecto Prætorio vel Urbis, vel Magistro militum. In cujus dignitatis signum ξιφηφορεῖν sive gladii ferendi potestas illi concessa erat, ut legimus apud Xiphilinum in Domitiano, & proditum est l. 1. & ult. C. de præpos. sac cubic Quod not P. Fab. d. c 3.

Cancellarius.) De nomine hoc & munere multa elegantia & notatu digna congessit Pet. Pithæus lib. 2. Adversar. cap. 12. Apud Cas-

ſiodorum *Cancellos agere* dicuntur, eadem formâ, qua *libellos agere* in l. 12. D de diſtract pignor. *Forum agere* apud Feſtum, & Ciceronem ad Atticum 5 epiſt. 16. *Chartas agere*, apud Plautum in Querulo, & l. 1 c. Th. de tabular holograph. Etſi verò Cancellarius ſimpliciter pro ſcriba & actuario uſurpetur cùm alibi tum ſæpiſſimè in Legibus Longobardicis & Francicis; tamen qui huic ordini præpoſitus, ſummus & primus Cancellarius in quanta dignitate fuerit, exponit ex Adolardo Hincmarus Epiſt. 3. c 16 *Summus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur, erantq; illi ſubiecti prudentes ac fideles viri, qui præcepta regia abſq; immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter cuſtodirent. Eum Archicancellarium poſteriores dixerunt*, ut in litteris Caroli Craſſi: *VValdo Cancellarius ad vicem Ludovici Archicancellarii, Anno DCCCLXXII.* Indict. v Is fuit Græcis λογοθέτης, μέγας λογοθέτης, ἀρχιλογοθέτης *Logotheta generalis* P. Diacono lib. 23. Atq; ita de ipſo Moguntino Germaniæ Archicancellario, Nicetas Choniates in Friderico Imp. lib. 8. ὁ μὲν τὸν οἰκεῖον, ὡς ἡ λατίνων βούλεται φωνὴ καγκελάριον, ὡς δ᾽ ἕλληνες εἴποιεν, λογοθέτην (ἦν δὲ οὗτος ὁ μαγέντζης ἐπίσκοπος) πέμψας μετὰ πλείστης δυνάμεως &c. Quod ipſum tituli Hereberto Colonienſis (quem Rupertus Tuitienſis eius vitæ ſcriptor Othonis III. primum Cancellarium vocat) ipſe Imperator ita tribuit: OTTHO *Imp. Auguſtus ſola Dei gratia, Hereberto Archilogothe gratiam, & Coloniam, & pallii cubitum unum &c.* Sed de hac Moguntinæ ſedis prærogativa fuſius agunt locupletiſſimi Annales Moguntini, lib. 1. c 24 & lib 5.

Italiæ) Quæ maxima ex parte Imperium recognoſcebat, per vicarios Imperatoris gubernata, ante illas poſteriorum Cæſarum alienationes. Colonienſis ergo Cancellarii *per Italiam* titulum habet vel *trans Alpes.* Ita enim lego in diplomate de Anno 1275. Wir Syvert Ertzbiſchoff von Cölln/ deß Reichs von Overberge Ertzcantzler. ꝛc.

Galliæ) & regni Arelatenſis, quod & Burgūdiæ. De quo plura notavimus non vulgata. ad Lupold. Bebenpurg. c. 10. pag 69. Quamvis (ut verum dicam) verba illa: *per Galliam & regnum Arelat.* ita accipienda cenſeo: per eam Galliæ partem, quæ regno Arelatenſi continetur, quæ nimirum ſola Imperium recognoſcebat. Per cæteram enim Galliam quid Cancellario opus, magis quàm per Hiſpaniam aut Africam. Cæterum hanc Cancellariorum inſtitutionem circa Ottonis M. ævum ortam, ex ipſorum Impp. privilegiis ſeu diplomatibus pub-

licis

cis se observasse Onuphrius Panninius scribit: ita ut si Italiam ingrederetur Imperator, Coloniensis privilegia Imperialia ederet & subsignaret: si in Germania moraretur, Moguntinus: si in Gallia, Trevirensis. Et falsus longè Petr. Gregorius Tholos. dum lib. 6. de Republ. cap. 13. num 25. Ptolomeo Lucense auctore putat, *Moguntinum nomine Germaniæ, Treverensem Galliæ, Coloniensem Italiæ nomine electionis munere fungi.* Et Abbas Stadensis qui ad Annum 1240. annotat, *Treverensem quamvis de Alemania non sit, antiquitatis intuitu eligere.* Treveri enim ab omni antiquitate Belgis annumerati, & (Tacito teste) ipsi Germanicam originem affectabant. Sed & Arelatense regnum in divisione nepotum Caroli M. qua totum Francorum regnum in Germanicum & Gallicum dividebatur, Germanico regno cum octo comitatibus suis tributum subditumque fuisse, & per aliquot secula usque ad alienationem à Carolo IIII. factam mansisse, notum est ex Aimonio Æmylio, Trithemio, videndus Alphonsus del Beve, libro de regno Burgundiæ trans-Iuranæ & Arelatensi. Porrò de tribus hisce Archiepiscopatibus electoralibus noti sunt versiculi veteres, nec illepidi.

Treveris ætate, sed rerum proprietate
Gaudet Agrippina; sed honore Moguntia prima

Quam Apud Argivos) Apud Græcos Constantinopoli, si non per successionem vel nominationem Imperatoris defuncti imperiũ deferretur, electio legitimè fiebat consilio Senatus, suffragiisq; Senatorum, Patriciorum & optimatum, non sine consensu & approbatione Patriarchæ: non nunquam etiam voluntate & studiis thematum sive legionum, earumq; Principum. Sed insecuta temporum depravatione & ataxia, etiam factionibus theatricis Venetorum vel Prasinorum imò (quod indignius) machinationibus Eunuchorum, Imperatores factos legimus. Quin eò redactum tandem fuit Græcorum imperium, ut ad voluntatem & nutum barbarorum & hostium suorum, ipsorumque adeò Turcorum, Principes quos illi vellent, accipere cogerentur. Exemplorum plena est historia Miscella, Glycæ, Zonaræ, Nicetæ, Gregoræ.

CAPUT II.

PAg.80. *Mogunt. Archipræsul, illustris Collegii Principum Electorum)* videtur deesse vox Decanus, quomodo ipse vocatur in quadam epistola Electorum ad Benedictum XII. P.P. edita à nobis Tomo 1. German fol.427. Et in libro Ceremon. Eccles. Roma. lib. 1. Sectio. XIII. cap.3. Tit. De recept. alien. Princ Elector. Imper. Quem locum ascribere placet: *Principes electores Roman Imperii digniores habentur aliis Principibus præter Reges, sicut Cardinales aliis Prælatis, ratione electionis. Hi septem numero sunt, tres Archiepiscopi, Coloniensis, Moguntinus, & Treverensis: tres Principes, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis: septimus additus fuit Rex Bohemiæ. Coloniensis Cancellariæ Imperialis praeest, per Italiam: Moguntinus (qui & decanus est electorum) per Germaniam: Treverensis per Gallias. Et singulis illorum sua provincia & diœcesi procedit, secundum Caroli quarti sanctionem. Palatinus, qui inter laicos primum locum obtinet, Archidapifer est imperii, & ad eum pertinet deferre aureum pomum ante Cæsarem. Dux Saxoniæ Archimareschallus est, & ensem nudum ante Cæsarem præfert. Brandeburgensis Camerarius Imperii, & ante Cæsarem sceptrum imperiale portat. Et quamvis ille Comes, hic Marchio dicatur, sunt tamen & Ducatus titulo omnes insigniti. Nam Palatinus ex Ducibus Bavariæ primus habetur. Et Brandeburgensis Pomeraniæ & Stetinensem Ducatus obtinet. Sed Comitatui & Marchionatui sunt attributa eligendi potestas. Hæc voluimus delibasse, quæ non facilè alibi legas, ut omnes sciant quantam auctoritatem nomen Electoris Imperii ibi vendicet. Quos tam Prælatos quàm Principes pari modo honorandos esse in eorum adventu ad curiam censeo, nisi in sedendo, ut postea.* Hæc illi. Moguntinus igitur primas tenet in Collegio Electorum, & regno vacante Principes ad electionis consilium ineundum convocat, idque ab antiquo obtinuit, teste Othone Frisingense lib. 1 Frider. cap. 16. Guntherus Ligurini lib. 6.

—— ad proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de iure vetusto
Moguntinus habet. Addo, Moguntino Præsuli etiam antiquitus jus fuisse coronare Bohemiæ Regem, & consecrare, uti

apparet

apparet ex privilegiis Odochari & Wenceslai Regum, quæ exhibet Trithemius in Spanheim ad Annum MCCXXVIII. & Hirsang. MCCCX. & observari potest in ipsorum monumentis Moguntiæ in templo Cathedrali positis, ubi Archiepiscopi quidam Reges à se consecratos juvenili forma expressos, quasi filios quosdam Spirituales, sub manibus tenent. Qui qui fuerint, legi potest apud Bruschium & Cratepolium in Catal. Episcop Mogunt. Donec tandem hoc jus & prærogativam Henricus ex Comitibus à Firnenberg Archiepiscopus Moguntinus, Ecclesiæ Pragensi auro venditum transscripsit, ut Trithemius & Bruschius scribunt. M. Albertus Argentinensis aliter Carolum Marchionem Moraviæ odio ejus Henrici, Pragensem Episcopum in Archiepiscopum erexisse, & Moguntini subjectione exemisse, eidemq; jus coronandi Regis concessisse jurantem idioma Bohemicum à Germanico distinctum esse, Anno 1346.

P 80. *Evocare ad oppidum.*) Antiquitus, ut scribit Lupold Bebenburg. pag. 44 vacante imperio primùm Electores conveniebant in villa Rensse Treverensis diœcesis, ubi more aliorum Collegiorum statuebant inter se terminum ad electionem Regis in oppido Franckfort per eos communiter faciendam, quæ sunt ejus verba cap. 6 de de jurib. imperii quæ etiam refert Johan. Andr. in not ad specul. de rescript. præsent §. ult. versic. *Idem quod est obtentum*, num. 18. Id in ipsius Caroli IV. Imp aureæ Bullæ auctoris electione servatum, scribit M. Albertus Argentinensis: *sub anno Domini MCCCXLVI. provisus Moguntinus de Nassowe, ad villam* Rens *super Rhenum, ad feriam quartam post Margaretæ, ad eligendum Regem Principes convocavit: ubi convenientes Baldewinus &c. Imperium diu vacasse decernentes, prædictum Carolum Marchionem Moraviæ in Regem elegerunt Romanum.* Ejus postea filium VVenceslaum ob ignaviam ob Electoribus depositum, & in ipsa ripa Rheni apud oppidum Lonstein tribunali excitato, sententiam exauctorationis publicatam constat. De Ruperto vero Rege memorabilis est locus apud Trithemium Abbatem in secundo volumine Chronicor Hirsang. nondum edito: *Anno 104. post Depositionem Regis VVenceslai, Principes qui apud Lonstein oppidum cis-Rhenanum haud procul à Confluentia convenerant, Iohannes videlicet Archiepiscopus Moguntinus*

tinus, VVernherus Treverorum, & Fridericus Coloniensis, non obstante absentia Ducis Saxonum, & Marchionis Brandeburgensis, Rupertum Comitem Palatinum Bavariæq; Ducem, coëlectorem suum in consilio præsentem, unanimi consensu in Regem Germaniæ & Imperatorem Romanorum concorditer elegerunt: quem Rheno transmisso in sedem regni sub nucibus ex more collocarunt. Sedes regni illa quam dicit, vulgò der Königstul/ adhuc extat, & visitur in ipsa Rheni ripa propè oppidum *Rhensse* sub densis arborum comis, suggestum quoddam è saxis structum, columnis impositum, viginti circiter gradibus ascendendum: supra scamna circum habens ad consessum: ut ibi rex primum introvisaretur, & voce præconis proclamaretur. Loco ideo (ut quidam observarunt) electo, quod ibidem sonantis tubæ clangor à quatuor Rheni Electoribus in propriis singulorum terris exaudiri possit: Moguntino in Lanstein, Treverico in Capella, Coloniensi in Reinsse (quam pignoris jure ab Ecclesiá Coloniensi Hassus tenet) Palatino in Braubach, quod feudi titulo idem Hassus ab illo tenet. A qua re ipsum oppidum *Rens* immunitatem & prærogativas quasdam antiquis Cæsarum concessionibus obtinere dicitur.

Oppidum Franckofordense) à veris Francis Trojanis, inquit, fundatum, si qua fides Hunibaldi epitomatori Trithemio lib. 1. Annal. Franco Marcomiri F. Dux Cis-Rhenanus apud Hogios, à Confluente usque ad ostium Mœni fluminis versus orientem, inter Moguntiacos & Saxones Germanos, veterem Urbem Helenopolin instaurans, ex suo nomine Franckenfurt nuncupavit: ut summo Chlodomeri F. aliam eodem nomine ad ripas Oderæ fluminis. Aliter Guntherus lib. 1 Ligurini:

Acturi sacra de successore coronæ
Conveniunt proceres, totius viscera regni,
Sede satis nota, rapidoque proxima Mœgo
Clara situ, populoq; frequens, murisq; decora est;
Sed rude nomen habet: nam Teutonus incola dixit
Franconefurt, nobis liceat sermone Latino
Francorum dixisse vadum: quia Carolus illic
Saxonas indomita nimium feritate rebelles,

Oppugnans,

Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, mediumque per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur, inde locis mansurum nomen inhæsit.

Quem locum procul dubio ante oculos habuit, & expressit Georgius Sabinus in Carolo Magno.

Cumque rebellantes per multos Saxonas annos
Traiecto domuit flumine Mœne tuo.

Eaque civitas Regum domicilio, habitisque ibi Curiis & Synodis inter primas clara fuit. Palatii Regiiq; sive (ut Francis propria voce utamur) Salæ vestigia cum nomine supersunt, in ea domo quæ Saalhoff etiamnum dicitur.

Pag. 81. *Rex Bohemiæ non nisi.*) Ita notant utriusq; Juris commentatores, Bald. in Margarita, Albericus in L. Bene à Zenone. C. de quadrien. præsc. Gl. in c. ad apostolicæ. De sent. & re judic. Hostiens. & Cardin Florentini in c. Venerabilem. de election. Ita ipse Bohemiæ historiæ scriptor Johannes Dubravius Episcopus Olomuceus lib. 6. ubi de Electorum institutione agit: *Additus tamen sex illis Principibus postea Rex Bohemus fuit. Elector septimus, ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero pari suffragio concurrente, non nunquam intercedebat.* Abbas Stadensis ad Annum 1240. scribit, *Bohemiæ Regem pincernæ quidem munere fungi verùm non eligere, quia non sit Teutonicus.* Speculum Saxonicum lib. 3. arricul. 57. *Bohemiæ Rex pincerna est, qui non eligit, quia nostræ non est nationis.* Quæ tamen ratio non usque adeò liquida est: cum sub Germania magna, qualem quidem Geographi describunt, Bohemiam Germanis populis undique circundatam & incinctam, dubium esse non possit: & Æneas Sylvius cap. 1. Bohemic. eam Germaniæ partem facit. In divisione regni Francorum Carolomanno Bavaria, Carintha, Bohemia, Moravia obvenerunt, qui vocatus est *Rex Bavariæ.* Et Pragensis Episcopus olim præsulem Moguntinum ceu suffraganeus diœcetenagnovit. Imperatores ab omni antiquitate Episcopos Pragenses confirmarunt & investierunt: & ipsis Ducibus Bohemorum regium titulum aliquoties in personam contulerunt, & ab illis vicissim pro superioribus sunt agniti: tributumque à Carolo M. primùm impositum sustinuerunt, annuatim cxx. electos

boves, & D. marcas singulas CC. nummorum pensitando: quæ omnia Cosmas Pragensis Decanus (à nobis jam primum editus) in Chronica Bohem. testatur. Inprimis Henricus Auceps Imp Bohemos bellis attrivit, & tributarios fecit, Holmoldo teste lib. 1. cap. 8. & Cranz. lib. 6. Vandal. cap. 6. Henricum verò IIII. Imp. Romam proficiscentem pro corona, Wladislaus Rex comitatus est cum armata CCC. clypeis legione, ut idem Cosmas refert. Rudolfus Rex Wenceslaum Generum suum non tantum in Regem Bohemiæ nuptiis Egræ peractis coronavit, sed ipsi & successoribus dignitatem facultatemque eligendi plenissimam, cum officio pocillandi, quod ipsius avis & progenitoribus competierit, confirmavit ad instar electorum reliquorum. ut Annales testantur, & ipsum diploma à nobis Tomo Bohemicorum fol. 115. editum fidem facit. In electione Ludovici Bavari tertio loco enumeratur Johannes Rex Bohemiæ, & Brandeburgico præponitur, apud Henric. Rebdorff. annali 1314. Neque sanè Caroli IIII. Bulla aurea ullo modo excluditur ab electione, sed tertium votum illi purè attribuitur, ita quod impunè præteriri non possit, ob pœnam ibi expressam. Itaque cum in electione Maximiliani I Regis, (credo eo quod non satis conveniebat inter Fridericum Imp. & Regem Ladislaum) præteritus fuisset, adeo non dissimulanter tulit ut pœnam aureæ Bullæ acerrimè postulare non cessaret, & arma minaretur, nec in gratiam redire vellet, nisi hac conditione, ut remitteretur Regibus Bohemiæ jus illud, quo Imperatores Romam in personis comitari coguntur, aut D. CCC ducatos exsolvere. Quo negato, à Cæsare tandem sub pacto ipsos in posterum nequaquam prætereundi sub pacto D. marcarum auri decissum transactumque fuit, & Ladislaus Rex electionem Maximiliani ratificavit: Principibus hac etiam excusatione utentibus, electionem illam non ex prædestinato Francofordiæ sed urgentibus de causis subitariè celebratam. Hæc Hartman. Maurus *in coronat. Carol. IV. Imp.* Interim comitiis & conventibus Imperii ordinariis Bohemus non interest, nec circulo alicui addictus, neque contributionibus aliisque Imperii oneribus obnoxius est. Cum tamen ipse vicissim tres Electores seculares, aliosque Principes, Comites & Civitates, pro quibusdam terris extra suos fines & nemus in solo Germanico sitis, vasallitio jure sibi devinctos & obligatos habeat. Unde

Bohemiæ cum Germania conjunctio fit manifestior.

Dum persistat in suo ve.) nec sit de secta Hussitarum (vult dicere) ut Georgius Pogiebrarius Bohemorum Rex: qui auctoris ævo vivens, Pontificem & clerum eo nomine sibi infestum habuit, ut historia de eo per Jacobum Picolomineum Cardinalem scripta prodit. Eius meminit satis frigidè & Author infra, pagina 99.

Pars eorum maior.) Qualem in suffragiis ferendis Electores rationem inire possint, ut singuli ex animi sententia in publicum consulant, nec percipiantur, nec ulla re libertas votorum impediatur: eleganter exponit Nicolaus Cusanus Cardinal. lib. 3. De concordat. Cathol. cap. 37. Porrò de hoc Germanorum eligendi Regis instituto exteros fabulosè scribere videmus, ut Rogerius de Houeden Angl. in Richardo 1. fol. 776. tradit defuncto Imp. Archiepiscopos. Episcopos, Abbates, Duces, Comites & cæteros magnates Alimaniæ conventu habito teneri duodecim viros eligere communiter, eosque præsentare Archiepiscopis Coloniensi & Moguntino, Duci de Saxonia & Palatino Rheni: & quencunque illi quatuor elegerint è prædictis duodecim, hunc in Regem Alemanorum evadere, & coronandum esse apud Hajis, (*Achas* vult dicere) capellam ubi Carolus M sepultus requiescit &c.

Pag. 82. *Eligere unum ex se ipsis.*) adeò ut ille ipse suffragio suo se nominare possit. Quod non adversatur Aureæ Bullæ, illo loco: *In casu denique quo tres Principes Electores præsentes seu absentium nuncii, quartum ex se seu eorum consortio, videlicet Principem Electorem præsentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint: vocem illius electi, si præsens adfuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contigerit plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus constituere ad instar cæterorum Principum Electorum.* Id quod in electione Ruperti Palatini videmus contigisse. Ita & de Sigismundo Imp. scribit Dubravius lib. 22 histor. Bohem. Moguntino comitia Electoribus indicente, ad quæ cum Sigismundus Rex Ungariæ tanquam Marchio Brandeburgensis venisset, dignitatisq; Regiæ gratia primus sententiam esset rogatus & de Cæsare nominando, se ipsum nominasse; *Me*, inquiens. *ego novi, alios non itidem, an æquè mecum imperio orbis digni sint, præsertim in tanto rerum motu,*

quo Italia quoque schismate ibi durante plurimum laborat. Miratos hanc [illegible] liberam & apertam Sigismundi vocem cæteros Electores, commu[illegible]nique assensu illam approbantes, ipsum Cæsarem consalutasse. Simile exemplum de Magistro quodam ordinis Teutonici refert [illegible] Sylvius in Europa cap 29.

Eorum privilegia confirmare.) Quod etiam in ipsa capitulati[illegible], quæ cum eligendo prius privatim initur, disertè cavetur.

Nuncios ad Pontificem destinare) Marsilius de Padua part. 2. Defensor. pac. cap. 26. *Voluerunt Romanorum Principum quidam circa tempora Constantini, ex superflua quadam devotione, electionem de se fa[illegible]am [illegible] biliter significare Romanis Pontificibus: ut in eorum persona Christo [illegible] reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem [illegible] nem & gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent. Fod[illegible]o propter sua inthronisationis solennitatem & signum, & Ampliorem Dei [illegible] obtinendam, diadema regium per eos sibi imponi fecerunt. Ex hac qu[illegible]n [illegible] reverentia sic sponte per Romanos Principes exhibita, quærentes sæpius quæ [illegible] sunt, Episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem, & abusum ve[illegible] Principum simplicitatem, laudationem electæ personæ, ac be[illegible] super illam mittebant, vocaliter aut in scriptis, vocare Confirmat[illegible] El[illegible]dictæ. Nec attendentibus olim Romanis Principibus, quæ sub hac appe[illegible] figura præiudicialis lateat intentio: sic ipsum successive subinduxerunt la[illegible] nullus quantumcunque convenienter electus Rex vocari debeat, neque [illegible] ritatem habeat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus. Quæ si [illegible] approbatio in eius solius mera voluntate consistit (ut dicit) neque suoru[illegible] fratr[illegible] quos Cardinales appellant, consilium in hoc aut aliis, quamvis eo utatur [illegible] tenetur. &c.*

CAPUT III.

PAg. 84. *Affirmativam.)* Hanc etiam defendit D. Henning. G[illegible]in Consil. 1. per tot.

Traiano Diocletiano.) Maximinum quoq; Imp. natione G[illegible] fuisse, patre Gotho nomine Mecea, matre Alana, in Thracia [illegible], ex Symmacho refert Jornandes in Gothicis cap. 15 Tacitus li[illegible] historiar. arcanum Imperii vocat, *Posse Principem alibi quam Romæ [illegible]* Augustinus Steuchus de Imperio Romano ita scribit: *Fuit hoc Imperium ut omnium sanctissimum, sic omnium nobilissimum plenum charitatis [illegible]e*

[illegible]

totius Christianæ gentis patrimonium. In quo cum omnes gentes, provinciæque omnes, & urbes, omnesque familiæ, ut secula tulerunt præfuerint ac præesse possint, iure dici potest Regnum cunctarum gentium, ad quod nemo ferè non aspirare posit, placidissimum sinum cunctis aperiens, humiles in altissimum gradum extollens: de quo nemo desperet, quin dari posit ei facultas fore, ut aliquando sit Rex. Nam in reliquis Regnis quis aliquando se Regem futurum, nisi sit è stirpe Regiâ, speraverit? Hoc regnum modo Hispani, modo Germani, nunc Galli, nunc Itali tenuerunt. Ipse Senatus ex omnibus gentibus constat. Tota denique ipsa civitas ex omni natione, quæ sub cœlo est, conflata est, ut meritò posit appellari Patria omnium gentium, Vrbs omnium Christianorum, in qua sint domicilia cunctarum nationum, omnesq; ad ipsas supremas civitatis dignitates admittantur, omnibus præmia sint proposita, nec minus provehantur humiles quàm proceres, &c.

Translatum in Germanos.) Æneas Cardinalis in Europa cap. 38. ita scribit: *Est Imperium nunc apud Germanos eo modo, ut nemo imperare posit nisi Germanus. Et quoniam eligendorum Imperatorum auctoritas Germanis tradita est, plerunque Germanus eligitur.* Et hinc etiam est quod legimus vicissim Principes Germanos Imperium tenentes sæpe dedisse operam sede Romana vacante, ut Germanos homines Pontifices facerent, Episcopos Bambergenses, Moguntinenses, & alios illuc transferendo.

Pag 85. *Opinio non solum vera.*) Huc pertinet gravissima illa Electorum Imperii super Carolo V. & Francisco Gallo eligendo disceptatio apud Sleidanum lib. 1. Quo tempore non infimi nominis IC. Henningus Gæden à Georgio Spalatino Consultus, quid de Carolo illo Rege Hispaniæ & Ferdinando Duce Burgundiæ fratribus, nepotibus Maximiliani I. ex filio Philippo sibi videretur, an essent Teutonici sive Germani habendi, & sic eligibiles ad Imperium Rom. Respondit, *Quod sic*: Cum præmortuo patre eorum Philippo Rege Castellæ ante avum, fuerint in potestate avi paterni: atque ita sortiantur originem avi sui paterni, & sic habeantur Germani. & nati (licet extra Germaniam) Archiduces Austriæ, sicut avus eorum paternus: non Hispani propter matrem vel avum maternum. Et quod dignitates & terræ adiectæ primævæ origini (ut successio regni Hispaniæ & aliorum) non mutent originem primam, nec minuant aut auferant honorem. Quæ omnia probantur §. penult. Instit. De patr. potest. L. 1. & L. assumptio §. filius. D. ad municipal. L. filios. C. eod.

L. pen. D. de Senator. & ibi Dd. Quod & servatum sit in Friderico II. Imp. qui natus fuit in Sicilia, ex patre tamen Germano, & nihilominus electus in Imperatorem tanquam origine Germanus. Vide Consilium eius 1. & Pet. Heig. Quæst. 5 lib. 1.

Vt singulis, vel ut Collegi.i.) Quam quæstionem plenè examinat. & cum nostro concludit Lupold. Bebenpurg. cap. 6. necnon D. Henning. Gaden. D. Consil. 1.

CAPUT IIII.

PAg. 86. *Devolvatur ad Papam.)* Ita DD. in d. c. venerabilem tradunt, si Principes Electores in eligendo Rege fuerint nimis tardi & negligentes, posse Papam eos admonere, ut procedant ad Canonicam electionem: alioquin potestatem eligendi ab eis revolvi ad Papam, cum aliâs ad hoc eis, non sit statutus certus terminus de jure communi. Verùm Bulla aurea Caroli IIII. & certum terminum conveniendi eligendique eis ponit, & habet pœnam, quod si intra xxx dies non eligant, deinceps non habeant victum nisi in pane & aqua. Gæden ibid.

CAPUT V.

PAg 87 *inter doctissimos.)* Quorũ contraria hac de controversia scripta partim edita, partim non edita in Bibliothecis videmus. Eorum qui pro Imperio tenuerunt, farraginem edidit Basilea Anno M. D. LXVI.

Pag 88 *ex consuetudine.)* Quam legi divinæ & humanæ certæque rationi esse consentaneam, probat singulari libro Lupoldus de Bebenpurg Canonista insignis, & tandem Episcopus Bebenburgensis, & novissimè Hieronymus Balbus & ipse Episcopus Gurcensis.

Rex privilegia dare.) Qualia multa data passim videmus, præsertim priscorum Regum Rom Carolorum, Henricorum, Ludovicorum, Otthonum &c. In quibus (ut hoc obiter addam) observare licet, quid fuerit *Signum N. gloriosissimi Regis* (à quo mansit Francogallicum

licum *Seingmanuel*) quod manu propria subnotare solebant: character nimirum quidam omnes nominis literas implexas & intortas continens. Quem Accursius *Epistalma* dictum ineptè notat ad L. 3. C. de quadr. præscript. Qui mos superiori sæculo desiit, ut Spiegel. in Austriada Bartolini annotavit.

A Coloniensi Episcopo.) Ita de Ruperto Rege apud Rensse electo & publicato, addit Trithemius: *A Lanstein oppido Principes post hæc navigio descenderunt ad Coloniam, ubi in maiori basilica S. Apostoli Fridericus Archiepiscopus ipsum electum in Regem Germaniæ solenniter benedixit, unxit & coronavit: cui mox cives Iuramentum fidelitatis iuxta antiquam Germanorum consuetudinem præstiterunt.*

In Alemania per Principes iudicari.) Ipsi Principes Electores in epistola quadam ad Benedictum XII. PP. pro Ludovico Bavaro Imp. scripta (quam Tomo 1 German. edidimus) testantur, se 15 die mensis Julii, Anno 1338. in Renise super alveo Rheni, ubi Principes electores super negociis Imperii tractandis convenire ab antiquo consueverunt, congregatos, maturo consilio habito concorditer declarasse. & sententialiter definivisse: *Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur concorditer vel à maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus sit habendus: & quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel auctoritate sedis Apostolicæ super administratione bonorum & iurium Imperii, sive titulo Regio assumendo indigeat: sed quod iura & bona Imperii administrare & gubernare poterit, & de iure & de consuetudine, nulla sedis Apostolicæ licentia super hoc habita vel obtenta.* Et Annales annotarunt, hanc Principum definitionem solenniter publicatam fuisse eodem Anno mense Augusto in Francofurt: quod etiam Chronicon eius civitatis non omisit. Ipsam autem constitutionem ab Electoribus & ordinibus super hoc jure Imperii factam, verbotenus ponit Albericus de Rosate in L. 3 C de quadrienn. præscript. Eandemque habet Hieron. Gurcens. Episcopus in libro De Coronatione ad Carolum V. Imp. pag. 65. huius verò editionis pag 39.

Pag. 89. *Donec per Papam.*) Vel potius, donec alter alterum armis potentior debellet, ut in schismate Philippi & Otthonis, Ludovici & Friderici Alberti & Adolphi contigit. Imperium enim & victoria cœlitus dantur.

Non Imperator, sed Rex) Speculum Saxonicum lib. 3. Artic. 52. *Teutonici eligere Regem iure debent: & cum ab Episcopis ad hoc deputatis benedicetur, & ad sedem in Aquisgranis receptus fuerit, regalem habet dignitatem.* Sed hæc verbis magis quàm re differunt. Vide quæ supra ad pag. 31. notata, & ad Lupold. Bebenpurg. cap. 13.

Bulla sed sigillo.) Hæc differentia ita legitur in Clementina Romani, De jurejur. in fine. Porrò Bulla est sigillum majus, quo in actibus majoris momenti Cæsares uti solebant: quod etiam *Maiestas* dicebatur, sigilla etiam *Typaria* dicuntur. In veteribus Carolorum & Ottonum diplomatis legimus: *Manu propria subter eam confirmavimus, & annulo nostra impressionis iussimus sigillari*, cum tamen ectypon majus sit vulgari annuli orbe. Bulla dicta, quod signum Cæsaris vel ceræ impressum & capsulæ cuidam ex auro aut plumbo incusum litteris appenderetur, nō aliter sanè quàm olim bullæ pueris prætextatis. Hinc Bullare, nil est aliud quàm sigillare, apud Petr. Blesensem, & alios. Arnoldus histor. Slavor. lib. 7 cap. 14. *Et Rex, vade ait, & post modicum revertere, & invenies litteras bullatas.* Petr. de Vineis epist. 21. lib. 1. *Existens ipse bullator, & scriptor, & forsitan numerator.* Nec aliunde dicti *Doctores Bullati*, quam quod eiusmodi litteris suæ docturæ sigillatis, absque legitimo examine & promotione, nitantur. Ut autem in quotidianis & promiscuis rebus Cæsares sigillo, annulo, typario utebantur, in gravioribus bulla. ita in maximis & gravissimis bulla aurea ut in privilegiis & concessionibus maximi momenti, quas Principibus vel Præsulibus aut Collegiis darent; aut in pragmaticis sanctionibus ad totum Imperium & posteritatem pertinentibus. Qualis est illa nobilissima Caroli IIII. quæ κατ' ἐξοχὴν *Aurea Bulla* vocatur. Cujus descriptionem si addidero, neque ab hoc loco alienum quidquam neq; lectori ingratum (puto) fecero. Sunt autem verba cujusdam Pilei Cardinalis ab Urbano Papa VI. in Germaniam missi Anno 1379. attestantis se vidisse & tenuisse quasdam literas patentes bonæ memoriæ Karoli Imp. Rom. tùm librùm illum Aureæ Bullæ, quem ita describit, *Prædictus liber, erat scriptus in pergameno in 24. foliis, cum coopertura grossa, in quo erant scripta diversa negocia sacrum Imperium & Electores eiusdem tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis sericis glauci & rubei coloris involutis, cum bulla seu sigillo aureo rotundo Imperiali appendente, in cuius uno latere apparebat figura Imperialis in maiestate sedens, cum Corona Imperiali in capite,*

in capite, habens in manu dextra sceptrum, & in sinistra manu pomum cum cruce desuper modo Imperiali, & à latere dextro Clypeum cum Aquila, & sinistro clypeum cum forma Leonis. In circumferentia verò legebantur hæc verba: KAROLUS QUARTUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS ET BOHEMIÆ REX. *Ab alio verò latere, castrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum litteris:* AUREA ROMA. *In circumferentia verò legebantur hæc verba:* ROMA. CAPUT. MUNDI. REGIT. ORBIS. FRENA. ROTUNDI. Hæc ille Quibus ex verbis clarius iam intelligentur illa Fr. Petrar. lib. 12. Epist fam 2. ad Johannem Episcopum & Cancellarium, cui gratias agit de oblato sibi munere Caroli IV. Imp. Comitiva Palatina sub bulla aurea. *Quanto me nuper,* inquit, *& quàm raro privilegio honestasti? Quod etsi solum feceras, secretum tamen imperii signum & ingentem bullam auream liberaliter adiecisti. Cuius vel aspectus solus immensum quiddam maiestatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit summi imperii & veteris Romæ atq; aurei sæculi meminisse.* Atq; hoc moris pariter & verbi Græci à nostris mutuati, habuerunt & ipsi sua χρυσόβυλλα, quæ Codinus scribit per dispositionem magni Logothetæ mitti ad Reges, Soltanos & Toparchas: cum ad Dominos, Patriarchas & Præsides honoratiores non nisi plumbo sigillatæ litteræ mitterentur, διὰ μολιβδίνης βύλλης. In Novellis Impp. Constantinop per Leunclavium nostrum Tomo II Jur. Græco Rom. editis, multæ extant pragmaticæ constitutiones χρυσοβύλλων nomine inscriptæ: & Novella 1. Basilii Porphyrogennetæ, §. ult notabilis locus, nolle eum χρυσοβούλλια suo nomine per præsidē & excubitorem suum Basilium emanata valere, nisi illis propria manu sua adscriptum ἐληρώθη inveniatur. Extat etiam in Bibliotheca Palatina liber m. f num. 356. in quo collectio Procemiorum variorum, in Chrysobullis ad diversos mittendis adhibendorum.

Ante coronationem) alia insuper differentia est, quod Rex electus in sigillis & insignibus Aquilam tantum simplicem, Imperator coronatus duplicem sive bicipitem gerit. De qua non nihil notavimus infra pag. 124.

Quemadmodum Papa.) Curia Romana & Cancellaria Papalis non

nisi plumbo ad bullandum uti ab antiquo consuevit, affectatione (ut videtur humilitatis.

CAPUT VI.

P 90. *Primus unctus Carolus M.)* Landulphus Sagax Histor. miscellæ lib. 23 *Cæterùm Hadrianus Carolo vicem recompensans, in Imperatorem, coronavit eum in templo S. Petri Apostoli, perungens oleo à capite usq; ad pedes, & circumdans Imperatoria veste atq; corona VIII. Kal. Ianuar. Indictione nona.* Idem Zonaras Tomo III. fol. 69. & 95. Constantinus Manasses in Chronica Synopsi:

> Ἐντεῦθεν ἀμειβόμενος τὸν Κάρουλλον ὁ Λέων,
> Ἀναγορεύει κράτορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης,
> Καὶ στέφος περιτίθησιν, ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοι·
> Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησόμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,
> Κ'ἀκ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει,
> Οὐκ οἶδα πόσι λογισμοῖς ἢ ποίαις ἐπινοίαις.

Ita quidam Græci de Carolo scribunt. Cæterùm ipsi, etiamsi unctionis ceremonia in suorum Imperatorum inauguratione non uterentur; tamen illi passim se *χριστοὺς κυρίου*, *unctos Domini*, indigitare solebant, ut in Cedreno, Niceta, aliisq; occurrit.

Prius unctione delinitos non memini.) Sed aliud quiddam solemne de illis legimus, nimirum *levatos, elevatos, sublatos* in Regem vel Imperatorem, quæ consuetudo Romanis cum quibusdam Germanarum gentium communis erat, Principem electum scuto impositum in altum militum humeris extollendi. Capitolinus in Maximo & Balbino: *Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus Imperator est appellatus.* Marcellinus de Juliano à Gallicanis militibus principe creato; *impositusque scuto pedestri, & sublatius eminens, populo silente Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre.* Claudianus de Honorio: Sed mox cum solita miles te voce levasset. Zonaras de Justiniano: Καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. Corippus de Justino:

> *Quattuor ingentem clypeis sublimibus orbem*

Attollunt

Attollunt lecti iuvenes, manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectus
Littera, quæ signo stabili non flectitur unquam.
Et mox: *Astitit in Clypeo Princeps fortissimus illo,*
Solis habens specimen: lux altera fulsit ab urbe.

Idem de Alexio Manuelis F. de Theodoro Lascari, & aliis Nicetas, Cedrenus, Gregoras, Pachymerius memorant. Morem autem jam tum Germanis illum fuisse, Tacitus lib. 20. testis est, de Caninefatibus loquens: *Impositusq; scuto more gentis, & sustinentium humeris vibratus, Dux eligitur.*

De Gothis Cassiodorus lib. 9. *Iudicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scuto supposito, regalem nobis contulisse præstante Deo dignitatem; ut honorem arma darent, cui opinionem bella, pepererant.* De Francis Ado Viennensis, *Sigebertum contra Chilpericum fratrem profecturum, à Francis more gentis Clypeo impositum, Regem esse constitutum.* idem de Clodoveo Gregor. Turonensis lib. 11. Adeoque sub Friderico Ænobarbo Otho Frisingerus lib. 1. cap. XXII. *Conradus Friderici Ducis frater ab omnibus qui aderant, exposcitur, ad regnumq; levatus, in palatio Aquis coronatur.*

Vt habetur in Pontificali.) Quo libro Pontificali usus sit auctor noster, nescio: & an forte solo ordine Romano vulgato, in quo titulus est, *De consecratione Regis & Imp.* Qui quidem primus omnium excusus est Venetiis 1516. hoc Titulo: *Rituum Ecclesiasticorum, sive sacrarum ceremoniarum S.S. Romanæ Ecclesiæ, libri tres* non ante impressi, cum præfatione Archiepiscopi Corcyrensis ad Leonem X. P. P. in eo lib 1. fol 30 caput habetur *De triplici Imperatorum corona*, quod (quia in paucorum manus liber ille pervenit) totum adscribemus: *Quoniam vulgari opinione fertur, Romanorum Imperatorem tribus coronis ornari oportere variorum metallorum, argentea Aquisgrani in Germania, ferrea Modætea in Lombardia, & aurea Romæ; super qua re Clarissimus Iurisconsultorum sui temporis Baldus opusculum edidit, mysticas metallorum significationes solertissimè interpretando; non videbitur forte absurdum aliquid de ea re pro veritate ostendenda differere. Et ut omittamus priscos illos Romanorum Imperatores, qui toti ferè orbi imperabant, ante Aurelianum (ut Eutropio placet) nulla corona nisi laurea, aut ex alia aliqua felici arbore usos fuisse, nihilque gravius*

odisse populum Romanum, quàm Regium nomen: hoc verò affirmamus, ante Carolum Magnum in cuius personam Imperium translatum est à Græcis in Latinos, neminem Imperii Romani coronam ex manu Romani Pontificis Romæ suscepisse. Et ut sæpe à Pio II. audivimus, rerum Germanicarum peritissimo, cui à manu servivimus, & Historia eius Australi legimus; Cæsar nullam omninò coronam accipit, nisi auream: & alias quidem coronas pro variis Regnis, Romæ vero & à Romano Pontifice Romam imperii coronam suscipit. Otho Frisingensis Episcopus & Federici I. patruus, vir doctus & eloquens, historiam scripsit suorum temporum: in ea tradit Federicum ipsum coronis quinq; aureis decoratum fuisse, prima de Regno Francorum apud Aquisgranum, secunda Ratisponæ de Regno Germaniæ, tertia Papiæ de Regno Longobardico, quartam Romæ suscepit pro Romano Imperio ab Hadriano IIII. summo Pontifice, quintam verò Modœtiæ pro regno Italico suscepisse testatur. Quæ quidem corona ideo appellatur ferrea, quod laminam quandam habeat ferream in sublimitate, alioquin aurea & pretiosissima. Sed differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea sub se tiaram quandam habet, in modum ferè Episcopalis mitræ, humiliorem tamen, magis apertam, & minus acutam: estq; eius apertura à fronte non ab aure, & semicirculum habet per ipsam aperturam aureum, in cuius summitate crux parvula eminet: eam tiaram aliæ coronæ non habent. Et quoniam hanc imperialem coronam bis aut ter in Germania vidimus, dum Cæsar regalia quibusdam Principibus concederet, idcirco eam exprimere conati sumus. Legimus & in aliis Historiis, quosdam Imperatores Arelate etiam coronam suscepisse de regno Arelatensi, & alibi alias pro aliis regnis. Nam & Carolus IV. Avinionem venit ad Vrbanum V. anno salutis 1 3 6 5. multo ante iussu Innocentii VI. Romæ Imperator coronatus. Qui rebus quarum quarum gratia ad Pontificem venerat absolutis Arelatem profectus est. Sciant ergò, qui de tribus coronis fabulantur, & Romanorum Imperatorem unam tantum pro Romano Imperio suscipere, & eam quidem Romæ & à Romano Pontifice; alias autem alibi, pro aliis & diversis regnis. De tribus hisce coronis videndus etiam Alciat. in lib. de form. Rom. Imper. pag 27.

In tribus metallis.) Ita Hunnos Regem suum Attilam exquisitissimis honoribus contumulantes, inter alia sarcophagi coopercula primùm auro deinde argento, tertio ferri rigore communiisse Jornandes in Geticis scribit; significantes tali argumento potentissimo Regi omnia convenisse: ferrum quo gentes edomuit; aurum & argentum, quod ornatum Reipublicæ utriusq; acceperit.

Aquugra-

Aquisgranum VVestphaliæ.) De quo vide Munsterum in Cosmograph. & quæ supra ad pag. 6. Guntherus lib. 1. Ligurini.

Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens, magnæ cum Francia Regi.
Utraq; serviret, primam gestare coronam
Jussit, & in sacra Reges ibi sede locari.

Magnificè inthronisatur.) ita hîc legendum. Qui autem totum actum cum omnibus ritibus, formulis, ceremoniis inaugurationis regiæ apud Aquisgranum cognoscere avet; legat historialam electionis Maximiliani I. in Regem Rom. vivo adhuc Friderico III. Imp. apud Francofurtum, & coronationis apud Aquisgranum Anno 1486. solenniter factarum, quas Tomo II. rerùm Germanicarum recudi curavimus. In Wilhelmo Anglo Rege Rom contra Fridericum II. electo, quas inaugurandi ceremonias & formulas Electores adhibuerint, Trithemius refert in Hirsang. anno 1249. quo Lectorem remittimus. Sed quid prohibet formam & solemnitatem hujus actus ex ipso Coloniensis Ecclesiæ libro Rituali, unde excerptam Hennigo Gœdeno JC. debemus, heic inserere:

PROCESSUS IN UNCTIONE REGIS ROMANORUM APUD Aquisgranum, & coronatione prima servandus. Ex libro Pontificali Reverendissimi Domini HERMANNI Archiepiscopi Coloniensis, Landgravii Hassiæ, qui Carolum V. in Regem Rom. ibi unxit, desumptus.

IN Coronatione & unctione Regis Romanorum, & præsertim ultimi Regis Maximiliani I. novissimè defuncti, fuit talis processus. Primò post electionem concorditer, vel à majori parte factam, comparet Rex Romanorum noviter electus. in Ecclesia Aquensi, & ibidem Archiepiscopus Moguntinus & Treverensis Archiepiscopus, sunt induti suis Pontificalibus ornamentis. & desuper plumalibus, cum debito ordine ministrorum, cruce, thuribulo, & textu Evangeliorum præcedentibus. Qui obviam eunt Regi electo venienti ad fores Ecclesiæ Aquisgranensis, ubi Archiepiscopus, Co-

Ioniensis cum recipit dicens: *Adiutorium nostrũ in nomine Domini*, Et Clerus, *Qui fecit cœlum & terram.* Archiepiscopus, *Sit nomen Domini benedictum*, Ministri: *Ex hoc nunc &c.* Archiepiscopus dicit collectam illam. *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, ut ita præsentis seculi cursum cunctorum in communem salutem disponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat, per Dom. &c.* Et hac collecta dicta, Archiepiscopi Moguntinensis & Treverensis, præsidente Archiepiscopo Coloniensi, suscipiunt Regem, unus ex uno & alter ex altero lateribus per manus ipsum ducunt ad chorum Aquensem. Et sic præcedente Archiepiscopo Coloniensi, cum clero, cruce, thuribulo, textu Evangeliorum & reliquiis præcedẽtibus, Clerus verò cantat: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te &c.* Cum versic. Psalm *Si me audieris &c.* Et tunc cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, prosternit se super tapeto posito ad gradus altaris, Et Rex totus se prosternit ad longum, ubi Archiepiscopus super eum prostratum dicit: *Domine salvum fac Regem; Oremus. Deus qui scis genus humanum nulla posse virtute subsistere &c.* Item, *Oremus. Sempiterne Deus, qui cœlestium terrestriumq́; moderator, famulum tuum ad regni fastigium dignatus es promovere. &c.* His dictis elevet se Rex & ponat se super sedem Regiam, & addatur ei Regina, si præsens fuerit, & collocetur juxta Regem in latere sinistro: ac Archiepiscopus Moguntinus à dextro, Treverensis verò in sinistro latere, juxta Reginam se ponant. Et tunc Archiepiscopus Coloniensis induta casula, celebraturus missam dicat: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* Quo dicto incipitur Missa sollenniter: *Ecce advenit dominator*, Versic. *Iudicium Regi da*, Et tunc dicantur duæ collectæ, illa scilicet *Deus qui miro ordine angelorum &c.* De tribus Regibus, ac Alleluia, & sequens, ad officium totum de tribus Regibus Lectio Esaiæ Prophetæ, *Surge, illuminare Ierusalem. &c.* Si autem esset tempus quadragesimale dimissis Alleluia & prosa, cantabuntur tractus, *Desyderium animæ eius*, usq; ad versic. *Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.* Et tunc surgat Rex, & deposito pallio regio, ducitur per Archiepiscopos Moguntinum & Treverensem ad gradus altaris, & prostratus in totum, in modum crucis, cantatur Litania à duobus clericis: in quo loco suo erigit se Archiepiscopus Coloniensis, qui prostratus cum Rege baculum in manibus suis tenens, dicit inter cantandum Litanias per clerum, *Vt hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris.* Cle. *Te rogamus &c.* Item Archiepiscopus Coloniensis: *Vt eum benedicere* ✠

sublimare ✠ *& consecrare.* ✠ *digneris.* Cle. *Te rogamus &c.* Item Coloniensis: *Ut eum ad regni & Imperii fastigium fœliciter perducere digneris.* Cle- *Te rogamus &c.* Deinde illi duo clerici complent Litaniam. *Ut Pontificem nostrum &c.* Et finita Litania, erigit se Coloniensis: & Rex similiter se levet. Et Coloniensis à Rege quærit: *Vis Sanctam fidem Catholicam à sanctis Apostolis traditam tenere, & operibus fide dignis servare?* Respondet ei Rex *Volo.* Item Colon. quærit; *Vis Sanctis Ecclesiis Ecclesiarumq, ministris fidelis esse tutor & defensor?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit tertiò: *Vis regnum Dei tibi à Deo concessum, secundum iustitiam prædecessorum tuorum regere, & efficaciter defendere?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. *Vis iura & regna Imperii, bonaq, eiusdem iniustè dispersa conservare & recuperare, ac fideliter in usus Regni & Imperii dispensare?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit: *Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum, æquus esse iudex, & pius defensor?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit: *Vis integerrimo in Christo Patri & Dom. Romano Pontifici, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, defensionem debitam & fidem reverenter exhibere? &c.* Respondet Rex, positis duobus digitis manus suæ dextræ super altare, *Volo, & in quantum divino suffultus fuero adiutorio, & precibus Christianorum adiutus quantum valuero, omnia præmissa, fideliter adimplebo. Sic me Deus adiuvet & sanctum eius Evangelium,* Et tunc reducitur iterum ad altare, ubi Dominus Archiepiscopus Coloniensis à Principibus Alemaniæ, Clero & populo circumstantibus quærit, & sic dicit: *Vultis tali Principi ac Rectori vos subiicere, ipsiusq, regnum firmare, fide stabilire, atq, iussionibus illius obtemperare, iuxta dictum Apostoli, Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit, sive Regi quasi præcellenti,* Ad quam quæstionem Archiepiscopi Moguntinensis & Treverensis Principes Alemaniæ, Clerus & populus assistentes respondent, dicentes: *Fiat, fiat, fiat.* Quia tamen Rex quandoq; non intelligit Latinum idioma præmissa per Archiepiscopum Coloniensem aut Clericos ejus præmissas interrogationes in Teutonico declarabit, quo facto Rex posternit se in longum & Coloniensis dicit super eum benedictionem: *Oremus; Benedic Domine hunc Regem nostrum N. qui regna omnium moderaris à sæculo &c.* Item Coloniensis super eum dicit; *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani &c.* Post *Amen*, iterum erigit se Rex: & Coloniensis ungit caput ejus, pectus inter scapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa scapulas de oleo Cathecumenorum dicens: *Pax tibi,* Ad quod Clerus. *Et cum spiritu &c.* Et tunc

Colonienſis dicit; *Vngo te in Regem de oleo iſto, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti*, Et interea Clerus cantat: *Vnxerunt Salomonem Zadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Syon, Et procedentes læti dixerunt Vivet Rex in æternum*, Poſtea Colonienſis ungat palmas manus dicens, *Vngantur manus iſtæ de oleo ſacro, unde uncti fuerunt Reges & Prophetæ, & ſicut unxit Samuel David in Regem, ut ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto, ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi, ad regendum & gubernandum, quod ipſe præſtare dignetur, qui vivit & regnat Deus &c.* Interea Clerus iterum cantat: *Vnxit te Deus &c.* & factis unctionibus iſtis, ſtatim ſint parati Cappellani Domini Regis, & cum lana mundiſſima detegant omnia loca ubi oleum appoſitum eſt. Et tunc ducitur Rex ad armarium, & indutum ibidem Sandaliis, Alba ſtola, ad modum crucis in pectore ſine Cappa; & ita redeat ad ſedem ſuam circa altare, Et tunc Colonienſis dicit Collectam: *Proſpice omnipotens Deus ſerenibus obtutibus glorioſum Regem N. Et ſicut Benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob &c.* Item aliam collectam: *Spiritus S. gratiæ humilitatis noſtræ officio copiosè in te deſcendat.* Item aliam; *Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum &c. per omnia ſecula ſeculorum*, Aſſiſtentes reſpondent: *Amen.* Colonienſis, *Dominus vobiſcum. Surſum corda, Gratias agamus &c. Verè dignum & iuſtum eſt &c.* ſpecialem præfationem, ut in ordinario Epiſcopi Colonienſis habetur. Item collecta alia: *Quoniam Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exaltationis unctus: &c.* His dictis poſtea Regalia traduntur Regi hoc ordine, & locentur primo ad ſiniſtram altaris in menſa, Et tunc Colonienſis Moguntinenſis & Treverenſis ſimul tradunt domino Regi gladium, Et dicit Colonienſis: *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, vice & autoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum.* Hic accinctus gladio accipiat à Colonienſi armillas, pallium & anulum, Dicente ſibi Colonienſi: *Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum &c.* Poſtea Colonienſis tradit ei ſceptrum & pomum, & dicit, *Accipe virgam virtutis atq; æquitatis.* Hinc Colonienſis Moguntinenſis, & Trever̃ſis, ſimul ſupra ponunt Regi coronã regiã, ſcilicet Caroli M. de Nornberg adductã, & pariter dicunt: *Accipite coronã Regni &c.* Hinc Domini Moguntinẽſis & Treverenſis, ducunt regẽ ad altare, & Rex poſitis manibus ſupra altare, hanc profeſſionem faciunt in ſuo vulgari,

vulgari, id est Teutonico, Prius tamen in Latino: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, amodo & deinceps, legem & iustitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ servare, populoq; mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & iura Regni conservare, salvo condigno misericordiæ divinæ respectu, sicut cum auxilio Principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero, Sanctissimo Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, cæterisq; Pontificibus & Ecclesiis Dei, condignum & canonicum honorem exhibere volo. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiis seu Ecclesiasticis viris collata sunt, & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari, Abbatibus & ordinibus vasallis Regni honorem volo portare & exhibere: Domino nostro Iesu Christo mihi auxilium præstante, fortitudinem & decorem.* Post istam professionem, Moguntinensis & Treverensis Archiepiscopi ducent Regem ac solium solium, Clero canten officium, Quod incipit, *Desiderium animæ tribuisti ei.* Et versiculum, *Qui prævenisti eum:* Hic ducitur Rex superius ad altare Apostolorum Simonis & Iudæ, in Ecclesia Aquensi. Et deinde dicit Archiepiscopus Coloniensis Regi: *Ita retine amodo locum Regni, quem non iure hæreditario, nec paterna successione, sed principum Electorum in Regno Alemaniæ (seu verius Romanorum) tibi noscas delegatum, maximè per autoritatem Dei Omnipotentis, & traditionem nostram præsentem, & omnium Episcoporum cæterorumq; servorum Dei &c.* His itaque cum Rege peractis, si Rex habuerit Reginam quæ affuerit, jungatur Regina ante altare coram Domino Archiepiscopo Coloniensi, qui super eam prostratam, dicat benedictionem: *Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem &c.* Et tunc projiciat se Regina per modum crucis in longum ante Dominum Coloniensem, qui iterum dicat super ea benedictionem: *Deus qui habes immortalitatem &c.* Hic detegatur pectus Reginæ per suas pedissequas, & Archiepiscopus Coloniensis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo sacro ungit eam dicens: *Spiritus S. gratia humilitatis nostræ officio in te copiosè descendat &c.* Hinc Coloniensis, Moguntinensis, & Treverensis Archiepiscopi pariter supra coronam ad caput Reginæ, dicentes: *Officio indignitatis nostræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ.* His dictis Capellani Reginæ accedant, & detergant loca cum oleo deuncta cum lana munda & alba. Et postea pedissequæ Reginæ ipsam reinduant. Quo facto ducatur juxta Regem, & sedeat in latere sinistro Regis, prius Clero cantate, *Te Deum Laudamus.* His peractis legitur

ſigillatim conſignatæ, quantum quiſque peditum & equitum ad Cæſaris comitatum mittere debebat, in ea quàm Matriculam Imperii vocamus. Quam etiam hoc loco inſerere animus ferebat, niſi in omnium manibus antea verſari putaſſemus.

Pag 92 *Italiam ingreditur.)* Non ſine difficultate ſuperatis Alpibus & clauſtris illis infidis penetratis, quæ eleganter deſcribit Otho Friſingenſis, & Guntherus lib. 4. Ligurini, circa finem: hodie *Clauſura* ſive *Cluſa Veronenſis* vulgò dicitur, Berner cluſe.

Quæ Modicia dicitur.) Radevicus *Modoicum* ſcribit: vulgò etiam Moguntiam vocant. Eo loco fundatam baſilicam inſignem à Theodelinda Longobardorum Regina, meminit Paul. Diaconus lib 4. hiſtor. Longobard. cap. 7. De hac coronatione, quæ primitus apud Mediolanum, poſtea Moguntiam Lombardiæ fieri conſuevit, ex profeſſo agit Alciatus in lib. *De formula Romani Imperii*, quem ſtudioſus Lector conſulere poterit. Habet Cottarum præclara familia Mediolanenſis ex Imperiali conceſſione hoc privilegium, ut huic regiæ coronationis actui intervenire debeant duo ex ea domo cottas ſive ſtolas albas induti, qui à latere Imperatorem juvant, ut patrii Mediolanenſium annales teſtantur: idque in Memoralia ſua retulit Catellianus Cotta, in verbo *Imperator debet*, ſub finem.

Scilicet argenteam.) Imò ferream, quæ vocatur, ut ſupra ex Pontificali libro notatum eſt, & Alciatus etiam teſtis eſt; quoniam Romanum regnum (inquit) ferri figura apud myſticum illum vatem Danielem præmonſtratum eſt: & rigore armorum rem Italicam ad ſupremum culmen, quod aureum diadema ſignificat perveniſſe denotat. Plura verò de hac corona ferrea apud Modoetiam imponenda, ex Carolo Sigonio hic annotare operæpretium fuerit. Ita enim ille lib. 1. de regno Italiæ: *Annales Mediolanenſes aſſerunt, Agilutho Regi coronam impoſitam fuiſſe, à Theodelinda regina reſtitutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam: unde poſt Ferreæ Coronæ nomen Italico Longobardorum in regno enituit.* Et aliquanto poſtea: *Theodelinda domi ſtudiis pacis intenta oppidum olim Moguntiacum, tùm verò Modetiam appellatum, quod XII. millibus paſſuum aberat à Mediolano, nobilitavit. Nam & regiam ibi magnificam condidit & regiæ baſilicam nobiliſſimam D. Iohannis Baptiſtæ conſecratam addidit. Ab illo tempore Longobardi publico voto illius Divi fuere patrocinio commendati. Loco inde acceſſit dignitas, poſtquam corona (de qua dixi)*

dixi) ferrea ibi custodiri, atq; ea ibi coronari Reges sunt cœpti: quam quidem post Karolum Magnum omnibus Italiæ Regibus video deinceps fuisse solennem. Et libro 4. id latius explicat. *Carolus,* inquit, *victo captoque Rege Desiderio & Longobardis in deditionem acceptis, regnum Italicum sibi iure victoriæ vindicavit: atque Modœtiæ se per Archiepiscopum Mediolanensem corona redimiri ferrea voluit, atq; ut ita apud posteros observaretur, instituit. Ea res maxima fieri ceremonia consuevit, quæ in Rituali antiquissimo continetur, in hunc modum. Perducto scilicet per Episcopos ex cubiculo in templum atque ad aram maximam Rege, Archiepiscopus post solennes aliquot precationes effusas populum alloquens interrogabat, Num se tali Regi subiicere, atq; illius mandatis & iussionibus constanti fide vellet obtemperare? Vbi verò populus se velle responderat, Regis caput, pectus, scapulas, atq; ipsas brachiorum compages oleo sancto ungebat, Deum orans, ut & in bello gerendo & in sobole propaganda votis eius annueret. Ornato inde ense, armellis, pallio, annulo & sceptro, coronam imponebat, & per chorum ductum in solio collocabat, atq; osculo pacis oblato divinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanensis Archiepiscopus egit. Ex quo tantum ei Ecclesiæ splendoris accrevit, ut in posterum contendere de dignitate cum Ravennate non dubitarit.* Idem lib. 8. de Conrado Imp. *His gestis magno indę honore Mediolanum intravit, ac regium ab Archiepiscopo diadema suscepit. Inde Modœtiam progressus ibi iterum coronari se, vetere renovata consuetudine, petiit. Et cum id necessarium esse Herebertus negaret, se Caroli Magni & posterorum eius exemplo permoveri respondit. Conradum inde imitati posteri ac successores eius pleriq; Modœtiensem quoq; coronam appetiverunt. Quam coronam Mediolanenses invidia perciti ad contemtum palearem vocarunt.* Inde profectus in Roncalias &c.

Pag. 93. *Henricum Imp.)* Imo & Fridericus noster III. cum esset Romæ ante diem Imperialis coronationis, inter missarum solennia, cum Sponsa sua Helionora Regis Portugaliæ F. de corona regni Longobardici sive Italici, quam superiores Imperatores Modœtiæ suscipere consueverant, quia pestis timore illuc accedere non potuit, Pontificis Nicolai V. manibus coronatus est in Basilica Petri apud altare maius, quæ *corona ferrea* (licet aurea sit) nuncupatur. Ita auctor Pontificalis.

Designans mundiciam.) Vnde nomen Leoni Imp Argyro natum Cedrenus scribit, ὅτι δῆθε καθαρότητα εἶν, εἶτα δὲ δι᾽ εὐπρέπειαν σώματος, εἶτε καὶ δῆθε τινα τρόπον τῆς αὐτοῦ φυλακῆς.

odisse populum Romanum, quàm Regium nomen: hoc verò affirmamus, ante Carolum Magnum in cuius personam Imperium translatum est à Græcis in Latinos, neminem Imperii Romani coronam ex manu Romani Pontificis Romæ suscepisse. Et ut sæpe à Pio II. audivimus, rerum Germanicarum peritissimo, cui à manu servivimus, & Historia eius Australi legimus; Cæsar nullam omninò coronam accipit, nisi aureeam: & alias quidem coronas pro variis Regnis, Romæ vero & à Romano Pontifice Romani imperii coronam suscipit. Otho Frisingensis Episcopus & Federici I. patruus, vir doctus & eloquens, historiam scripsit suorum temporum: in ea tradit Federicum ipsum coronis quinq; aureis decoratum fuisse, prima de Regno Francorum apud Aquisgranum, secunda Ratisponæ de Regno Germaniæ, tertia Papiæ de Regno Longobardico, quartam Romæ suscepit pro Romano Imperio ab Hadriano IIII. summo Pontifice, quintam verò Modætiæ pro regno Italico suscepisse testatur. Quæ quidem corona ideo appellatur ferrea, quod laminam quandam habeat ferream in sublimitate, alioquin aurea & pretiosissima. Sed differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea sub se tiaram quandam habet, in modum ferè Episcopalis mitræ, humiliorem tamen, magis apertam, & minus acutam: estq; eius apertura à fronte non ab aure, & semicirculum habet per ipsam aperturam auream, in cuius summitate crux parvula eminet: eam tiaram aliæ coronæ non habent. Et quoniam hanc imperialem coronam bis aut ter in Germania vidimus, dum Cæsar regalia quibusdam Principibus concederet, idcirco eam exprimere conati sumus. Legimus & in aliis Historiis, quosdam Imperatores Arelate etiam coronam suscepisse de regno Arelatensi, & alibi alias pro aliis regnis. Nam & Carolus IV. Avinionem venit ad Urbanum V. anno salutis 1 3 6 5. multo ante iussu Innocentii VI. Romæ Imperator coronatus. Qui rebus quarum quarum gratia ad Pontificem venerat absolutis Arelaten profectus est. Sciant ergò, qui de tribus coronis fabulantur, & Romanorum Imperatorem unam tantum pro Romano Imperio suscipere, & eam quidem Romæ & à Romano Pontifice; alias autem alibi, pro aliis & diversis regnis. De tribus hisce coronis videndus etiam Alciat. in lib. de form. Rom. Imper. pag 27.

In tribus metallis.) Ita Hunnos Regem suum Attilam exquisitissimis honoribus contumulantes, inter alia sarcophagi coopercula primùm auro deinde argento, tertio ferri rigore communiisse Jornandes in Geticis scribit; significantes tali argumento potentissimo Regi omnia convenisse: ferrum quo gentes edomuit; aurum & argentum, quod ornatum Reipublicæ utriusq; acceperit.

Aquisgra-

Aquisgranum VVestphaliæ.) De quo vide Munsterum in Cosmograph. & quæ supra ad pag. 6. Guntherus lib. 1. Ligurini.

Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens, magna cum Francia Regi.
Vtraq; serviret, primam gestare coronam
Jussit, & in sacra Reges ibi sede locari.

Magnificè inthronisatur.) ita hîc legendum. Qui autem totum actum cum omnibus ritibus, formulis, ceremoniis inaugurationis regiæ apud Aquisgranum cognoscere avet; legat historialam electionis Maximiliani I. in Regem Rom. vivo adhuc Friderico III. Imp. apud Francofurtum, & coronationis apud Aquisgranum Anno 1486. solenniter factarum, quas Tomo II. rerùm Germanicarum recudi curavimus. In Wilhelmo Anglo Rege Rom contra Fridericum II. electo, quas inaugurandi ceremonias & formulas Electores adhibuerint, Trithemius refert in Hirsang. anno 1249. quo Lectorem remittimus. Sed quid prohibet formam & solemnitatem hujus actus ex ipso Coloniensis Ecclesiæ libro Rituali, unde excerptam Hennigo Gœdeno JC. debemus, heic inserere:

PROCESSVS IN VNCTIONE REGIS ROMANORVM APVD Aquisgranum, & coronatione prima servandus. Ex libro Pontificali Reverendissimi Domini HERMANNI Archiepiscopi Coloniensis, Landgravii Hassiæ, qui Carolum V. in Regem Rom. ibi unxit, desumptus.

IN Coronatione & unctione Regis Romanorum, & præsertim ultimi Regis Maximiliani I. novissimè defuncti, fuit talis processus. Primò post electionem concorditer, vel à majori parte factam, comparet Rex Romanorum noviter electus, in Ecclesia Aquensi, & ibidem Archiepiscopus Moguntinus & Treverensis Archiepiscopus, sunt induti suis Pontificalibus ornamentis, & desuper plumalibus, cum debito ordine ministrorum, cruce, thuribulo, & textu Evangeliorum præcedentibus. Qui obviam eunt Regi electo venienti ad fores Ecclesiæ Aquisgranensis, ubi Archiepiscopus, Co-

lonienfis cum recipit dicens: *Adiutorium noſtrũ in nomine Domini*, Et Clerus. *Qui fecit cœlum & terram.* Archiepiſcopus, *Sit nomen Domini benedictum*, Miniſtri: *Ex hoc nunc &c.* Archiepiſcopus dicit collectam illam. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, ut ita præſentis ſeculi curſum cunctorum in communem ſalutem diſponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat, per Dom. &c.* Et hac collecta dicta, Archiepiſcopi Moguntinenſis & Treverenſis, præſidente Archiepiſcopo Colonienſi, ſuſcipiunt Regem, unus ex uno & alter ex altero lateribus per manus ipſum ducunt ad chorum Aquenſem. Et ſic præcedente Archiepiſcopo Colonienſi, cum clero, cruce, thuribulo, textu Evangeliorum & reliquiis præcedẽtibus, Clerus verò cantat: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te &c*, Cum verſic. Pſalm *Si me audieris &c.* Et tunc cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, proſternit ſe ſuper tapeto poſito ad gradus altaris, Et Rex totus ſe proſternit ad longum, ubi Archiepiſcopus ſuper eum proſtratum dicit: *Domine ſalvum fac Regem*; *Oremus. Deus qui ſcis genus humanum nulla poſſe virtute ſubſiſtere &c.* Item, *Oremus. Sempiterne Deus, qui cœleſtium terreſtriumq; moderator, famulum tuum ad regni faſtigium dignatus es promovere. &c.* His dictis elevet ſe Rex & ponat ſe ſuper ſedem Regiam, & addatur ei Regina, ſi præſens fuerit, & collocetur juxta Regem in latere ſiniſtro: ac Archiepiſcopus Moguntinus à dextro, Treverenſis verò in ſiniſtro latere, juxta Reginam ſe ponant. Et tunc Archiepiſcopus Colonienſis induta caſula, celebraturus miſſam dicat: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* Quo dicto incipitur Miſſa ſollenniter: *Ecce advenit dominator*, Verſic. *Iudicium Regi da*, Et tunc dicantur duæ collectæ, illa ſcilicet *Deus qui miro ordine angelorum &c.* De tribus Regibus, ac Alleluia, & ſequens, ad officium totum de tribus Regibus Lectio Eſaiæ Prophetæ, *Surge, illuminare Ieruſalem. &c.* Si autem eſſet tempus quadrageſimale, dimiſſis Alleluia & proſa, cantabuntur tractus, *Deſyderium animæ eius*, uſq; ad verſic. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.* Et tunc ſurgat Rex, & depoſito pallio regio, ducitur per Archiepiſcopos Moguntinum & Treverenſem ad gradus altaris, & proſtratus in totum, in modum crucis, cantatur Litania à duobus clericis: in quo loco ſuo erigit ſe Archiepiſcopus Colonienſis, qui proſtratus cum Rege baculum in manibus ſuis tenens, dicit inter cantandum Litanias per clerum, *Vt hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris.* Cle. *Te rogamus &c.* Item Archiepiſcopus Colonienſis: *Vt eum benedicere* ✠

sublimare ✠ *& consecrare* ✠ *digneris.* Cle. *Te rogamus &c.* Item Coloniensis: *Vt eum ad regni & Imperii fastigium fœliciter perducere digneris.* Cle- *Te rogamus &c.* Deinde illi duo clerici complent Litaniam. *Vt Pontificem nostrum &c.* Et finita Litania, erigit se Coloniensis: & Rex similiter se levet. Et Coloniensis à Rege quærit: *Vis Sanctam fidem Catholicam à sanctis Apostolis traditam tenere, & operibus fide dignis servare?* Respondet ei Rex *Volo.* Item Colon. quærit; *Vis Sanctis Ecclesiis Ecclesiarumq; ministris fidelis esse tutor & defensor?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit tertiò: *Vis regnum Dei tibi à Deo concessum, secundum iustitiam prædecessorum tuorum regere, & efficaciter defendere?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. *Vis iura & regna Imperii, bonaq; eiusdem iniustè dispersa conservare & recuperare, ac fideliter in usus Regni & Imperii dispensare?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit: *Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum, æquus esse iudex, & pius defensor?* Respondet Rex, *Volo.* Item Colon. quærit: *Vis integerrimo in Christo Patri & Dom. Romano Pontifici, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, defensionem debitam & fidem reverenter exhibere? &c.* Respondet Rex, positis duobus digitis manus suæ dextræ super altare, *Volo, & in quantum divino suffultus fuero adiutorio, & precibus Christianorum adiutus quantum valuero, omnia præmissa, fideliter adimplebo. Sic me Deus adiuvet & sanctum eius Evangelium.* Et tunc reducitur iterum ad altare, ubi Dominus Archiepiscopus Coloniensis à Principibus Alemaniæ, Clero & populo circumstantibus quærit, & sic dicit: *Vultis tali Principi ac Rectori vos subiicere, ipsiusq; regnum firmare, fide stabilire, atq; iussionibus illius obtemperare, iuxta dictum Apostoli, Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit, sive Regi quasi præcellenti.* Ad quam quæstionem Archiepiscopi Moguntinensis & Treverensis Principes Alemaniæ, Clerus & populus assistentes respondent, dicentes: *Fiat, fiat, fiat.* Quia tamen Rex quandoq; non intelligit Latinum idioma præmissa per Archiepiscopum Coloniensem aut Clericos ejus præmissas interrogationes in Teutonico declarabit, quo facto Rex posternit se in longum & Coloniensis dicit super eum benedictionem: *Oremus: Benedic Domine hunc Regem nostrum N. qui regna omnium moderaris à seculo &c.* Item Coloniensis super eum dicit; *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani &c.* Post *Amen*, iterum erigit se Rex: & Coloniensis ungit caput ejus, pectus inter scapulas, & ambas iuncturas brachiorum circa scapulas de oleo Cathecumenorum dicens: *Pax tibi,* Ad quod Clerus. *Et cum spiritu &c.* Et tunc

Colonienſis dicit; *Vngo te in Regem de oleo iſto, in nomine Patris* ✠ *& Filii* ✠ *& Spiritus* ✠ *Sancti*, Et interea Clerus cantat: *Vnxerunt Salomonem Zadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Syon, Et procedentes læti dixerunt Vivet Rex in æternum*, Poſtea Colonienſis ungat palmas manus dicens, *Vngantur manus iſtæ de oleo ſacro, unde uncti fuerunt Reges & Prophetæ, & ſicut unxit Samuel David in Regem, ut ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto, ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi, ad regendum & gubernandum, quod ipſe præſtare dignetur, qui vivit & regnat Deus &c.* Interea Clerus iterum cantat: *Vnxit te Deus &c.* & factis unctionibus iſtis, ſtatim ſint parati Cappellani Domini Regis, & cum lana mundiſſima detegant omnia loca ubi oleum appoſitum eſt. Et tunc ducitur Rex ad armarium, & indutum ibidem Sandaliis, Alba ſtola, ad modum crucis in pectore ſine Cappa; & ita redeat ad ſedem ſuam circa altare, Et tunc Colonienſis dicit Collectam: *Proſpice omnipotens Deus ſerenibus obtutibus glorioſum Regem N. Et ſicut Benedixiſti Regem Abraham, Iſaac, & Iacob &c.* Item aliam collectam: *Spiritus S. gratia humilitatis noſtræ officio copioſè in te deſcendat.* Item aliam; *Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum &c. per omnia ſecula ſeculorum*, Aſſiſtentes reſpondent: *Amen.* Colonienſis, *Dominus vobiſcum. Surſum corda, Gratias agamus &c. Verè dignum & iuſtum eſt &c.* ſpecialem præfationem, ut in ordinario Epiſcopi Colonienſis habetur. Item collecta alia: *Quoniam Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exaltationis unctus: &c.* His dictis poſtea Regalia traduntur Regi hoc ordine, & locentur primo ad ſiniſtram altaris in menſa, Et tunc Colonienſis Moguntinenſis & Treverenſis ſimul tradunt domino Regi gladium, Et dicit Colonienſis: *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, vice & autoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratus, tibi regaliter impoſitum.* Hic accinctus gladio accipiat à Colonienſi armillas, pallium & anulum, Dicente ſibi Colonienſi: *Accipe regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognoſce ſignaculum &c.* Poſtea Colonienſis tradit ei ſceptrum & pomum, & dicit, *Accipe virgam virtutis atq; æquitatis.* Hinc Colonienſis Moguntinenſis, & Treverēſis, ſimul ſupra ponunt Regi coronā regiā, ſcilicet Caroli M. de Nornberg adductā, & pariter dicunt: *Accipite coronā Regni &c.* Hinc Domini Moguntinēſis & Treverenſis, ducunt regē ad altare. & Rex poſitis manibus ſupra altare, hanc profeſſionem faciunt in ſuo vulgari,

vulgari, id est, Teutonico, Prius tamen in Latino: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, amodo & deinceps, legem & iustitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ servare, populoq; mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & iura Regni conservare, salvo condigno misericordiæ divinæ respectu, sicut cum auxilio Principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero; Sanctißimo Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ, cæterisq; Pontificibus & Ecclesiis Dei, condignum & canonicum honorem exhibere volo. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiis seu Ecclesiasticis viris collata sunt, & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari, Abbatibus & ordinibus vasallis Regni honorem volo portare & exhibere: Domino nostro Iesu Christo mihi auxilium præstante, fortitudinem & decorem.* Post istam professionem, Moguntinensis & Treverensis Archiepiscopi ducent Regem ac solium solium, Clero canten officium, Quod incipit, *Desiderium animæ tribuisti ei.* Et versiculum, *Qui prævenisti eum:* Hic ducitur Rex superius ad altare Apostolorum Simonis & Judæ, in Ecclesia Aquensi. Et deinde dicit Archiepiscopus Coloniensis Regi: *Ita retine amodo locum Regni, quem non iure hæreditario, nec paterna successione, sed principum Electorum in Regno Alemaniæ (seu verius Romanorum) tibi noscas delegatum, maximè per autoritatem Dei Omnipotentis, & traditionem nostram præsentem, & omnium Episcoporum cæterorumq; servorum Dei &c.* His itaque cum Rege peractis, si Rex habuerit Reginam quæ affuerit, jungatur Regina ante altare coram Domino Archiepiscopo Coloniensi, qui super eam prostratam, dicat benedictionem: *Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem &c.* Et tunc projiciat se Regina per modum crucis in longum ante Dominum Coloniensem, qui iterum dicat super ea benedictionem: *Deus qui habes immortalitatem &c.* Hic detegatur pectus Reginæ per suas pedissequas, & Archiepiscopus Coloniensis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo sacro ungit eam dicens: *Spiritus S. gratia humilitatis nostræ officio in te copiosè descendat &c.* Hinc Coloniensis, Moguntinensis, & Treverensis Archiepiscopi pariter supra coronam ad caput Reginæ, dicentes: *Officio indignitatis nostræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ.* His dictis Capellani Reginæ accedant, & detergant loca cum oleo deuncta cum lana munda & alba. Et postea pedissequæ Reginæ ipsam reinduant. Quo facto ducatur juxta Regem, & sedeat in latere sinistro Regis, prius Clero cantate, *Te Deum Laudamus.* His peractis legitur

Evangelium ſecundum Matthæum: *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis.* Deinde dicitur, *Credo.* Offertorium, *Reges, Tharſes* &c. Et Rex ſceptrum in manu tenens offerat ad altare, ubi Miſſa cantatur. Deinde offert Regina. Poſtea principes Moguntinenſis, Treverenſis. Poſtea alii principes Electores ſecundum gradum ſuum. Et procedetur in Miſſa uſque ad illum locum, *Et pax eius.* Completo officio Miſſæ, & mox poſt electionem, Rex confirmat privilegia Principũ Electorum. Et jurat, quod poſtquã unctus fuerit & coronatus & diademate imperiali per Pontificem Romanum ornatus, iterum Principum Electorum privilegia confirmabit Quibus ſic peractis, Rex cum Principibus Electoribus ingrediuntur in auditorium · & ſi tunc fuerint aliqua negotia ſpecialia & ardua regni tractanda, illa tractabunt. Et ita Rex ipſe proceſſu temporis cum ſuis Principibus ac proceribus Regnum Romanorum adminiſtrabit, pacem conſervando, oppreſſos relevando, injuſtos reprimendo, & Juſtitiam defendendo in jure, & ita cum Dei adjutorio regnum & regimen Sacri Romani Imperii fœliciter continuando. Quod iſte ei miſericorditer præſtet· qui ſine fine vivit & regnat per omnia ſecula ſæculorum benedictus, Amen.

Pag. 91. *Pontificalibus inſignus.)* Mitra. ſtola. pedo.

Hermelino vellere.) Quod minus Sarmatici quidam vocant: vide quæ notarunt ſcholiaſtæ ad Alciati Emblema 79.

·*Colonienſis Archipræſul.)* Ut in regno Franciæ Occidentalis Regis unctio, benedictio, & coronatio pertinet ad Archiepiſcopum Remenſem Quod tamen & ipſum non omninò neceſſarium & immutabile habendum. defendit Ivo Carnotenſis Epiſtola o Et exemplum Ludovici Philippi F. Regis à Senonenſi Archiepiſcopo uncti & coronati, fruſtra reclamante Remenſi. extat apud Aimoin lib 5 c. 49.

Coronam ferream.) Alii ſcribunt, Aquisgrani ab Ubiorũ præſule argenteam ſumi coronam: quæ denotet, regnum Germanorum tanto inferius eſſe dignitate Auguſtali, quanto vilius argentum eſt auro. Ita Alciat in lib. De formula Imp Rom. pag. 27.

Fortitudinem deſignat.) Imò potiùs prophetiam Danielis de Coloſſi pedibus ferreis, & ultimo mundi ſenio adeoq; ferreo ſæculo, nobis referat & explicet. Vide Orat M. Dreſſeri de Monarchiis.

Sede ſua relocatur.) Jam antea in ipſo Rheni deſcenſu, poſt primam

mam proclamationem apud Reense, in sede illa regali collocatus, ut supra notavimus. Ita etiam legitur in coronatione Maximiliani I. *Rege exeunte navem Dominus Archiepiscopus Moguntinensis & Albertus Dux Saxoniæ, eum duxerunt supra cathedram lapideam elevatam, quæ vocatur sedes Regis, situata in campis extra muros civitatis Rensensis prope Rhenum: super quam sedebat Rex Romano Imperio præstans iuramentum. Ibi quendam de domo Ducis Sigismundi creavit militem: factaq; per Archiepiscopum Moguntinum relatione, iterum se in naves receperunt, venientes illo sero Andernacum.* Deniq; non est omittendum Regis Romani, quod in hac electione Principibus suis electoribus præstat jurejurandum, de quo Speculum Saxonicum lib 3 artic. 54 *Cum Rex eligitur, iureiurando Imperio homagium præstat, & iurare debet: se velle iustitiam confortare, & destruere iniustitiam, & Imperii secundum suum posse iura defendere. Quo finito, iuramentum aliquod de cætero non præstabit, nisi forte ab Apostolico de hæresi accusetur. Postmodum omnium rerum ad suum testimonium pertinentium, per iam Imperio præstitum sacramentum, testis: & pro sacramento suam ponat promißionem, ubi pax iuratur.* Hæc ibi.

Ita Italiam iturum.) Hæc est illa celebris Romam profectio, cuius in omnibus historiis, atq; etiam Feudorum libris tam frequens mentio, quamq; ibi Lotharius & Fridericus *felicißimam sui numinis expeditionem* vocant, imitatione Honorii Imp. in L. 10 & 11. C. de Sacrosanct. Eccles. Quanquam antiquius est institutum, jam tum à Caroli M. successoribus repetendum: extatque de ea profectione Caroli III. Crassi dicti Imp. constitutio, quā nos alibi cū commētariis edidimus.

Cum copioso exercitu.) Procerum & vasallorum Imperii omnis ordinis officium, & servitium Imperatori debitum, vel primum hoc erat, ut Regem ab Electoribus designatum, & solenniter Romæ inaugurandū, honoris & majestatis ergò illac comitentur. Ut autem Cæsarem Principes & proceres, pro nexu suo quo Imperio tenentur, comitari debebant, majori aut minori numero & apparatu, pro feudorum & principatuū suorum ratione: ita ipsi rursus clientes & beneficiarios suos in professionē hanc comites & asseclas trahebant, simili proportione beneficiorū facultatumq; habita. Quę illorū sequela nostrate eius ævi voce *Hostenditiæ* dicebantur, ut alibi exposuimus. Fueruntq; superiori ævo in eā rē vires totius Imperii (quantulū quidem fuit) eiusq; ordinū singulorum, majorū, minorū, medioxumorū,

ſigillatim conſignatæ, quantum quiſque peditum & equitum ad Cæſaris comitatum mittere debebat, in ea quàm Matriculam Imperii vocamus. Quam etiam hoc loco inſerere animus ferebat, niſi in omnium manibus antea verſari putaſſemus.

Pag 92 *Italiam ingreditur.)* Non ſine difficultate ſuperatis Alpibus & clauſtris illis infidis penetratis, quæ eleganter deſcribit Otho Friſingenſis, & Guntherus lib. 4. Ligurini, circa finem: hodie *Clauſura* ſive *Cluſa Veronenſis* vulgò dicitur, Berner cluſe.

Quæ Modicia dicitur.) Radevicus *Modoicum* ſcribit: vulgò etiam Moguntiam vocant. Eo loco fundatam baſilicam inſignem à Theodelinda Longobardorum Regina, meminit Paul. Diaconus lib 4. hiſtor. Longobard. cap. 7. De hac coronatione, quæ primitus apud Mediolanum, poſtea Moguntiam Lombardiæ fieri conſuevit, ex profeſſo agit Alciatus in lib. *De formula Romani Imperii*, quem ſtudioſus Lector conſulere poterit. Habet Cottarum præclara familia Mediolanenſis ex Imperiali conceſſione hoc privilegium, ut huic regiæ coronationis actui intervenire debeant duo ex ea domo cottas ſive ſtolas albas induti, qui à latere Imperatorem juvant, ut patrii Mediolanenſium annales teſtantur: idque in Memoralia ſua retulit Catellianus Cotta, in verbo *Imperator debet*, ſub finem.

Scilicet argenteam.) Imò ferream, quæ vocatur, ut ſupra ex Pontificali libro notatum eſt, & Alciatus etiam teſtis eſt; quoniam Romanum regnum (inquit) ferri figura apud myſticum illum vatem Danielem præmonſtratum eſt: & rigore armorum rem Italicam ad ſupremum culmen, quod aureum diadema ſignificat perveniſſe denotat. Plura verò de hac corona ferrea apud Modoetiam imponenda, ex Carolo Sigonio hic annotare operæprecium fuerit. Ita enim ille lib. 1. de regno Italiæ: *Annales Mediolanenſes aſſerunt, Agilutho Regi coronam impoſitam fuiſſe, a Theodelinda regina reſtitutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam: unde poſt Ferreæ Coronæ nomen Italico Longobardorum in regno enituit.* Et aliquanto poſtea: *Theodelinda domi ſtudiis pacis intenta oppidum olim Moguncíacum, tùm verò Modetiam appellatum, quod XII. millibus paſſuum aberat à Mediolano, nobilitavit. Nam & regiam ibi magnificam condidit & regiæ baſilicam nobiliſſimam D. Iohannis Baptiſtæ conſecratam addidit. Ab illo tempore Longobardi publico voto illius Divi fuere patrocinio commendati. Loco inde acceſſit dignitas, poſtquam corona (de qua dixi)*

dixi) ferrea ibi custodiri, atq; ea ibi coronari Reges sunt cœpti: quam quidem post Karolum Magnum omnibus Italiæ Regibus video deinceps fuisse solennem. Et libro 4. id latius explicat. *Carolus,* inquit, *victo captoque Rege Desiderio & Longobardis in deditionem acceptis, regnum Italicum sibi iure victoriæ vindicavit: atque Modœciæ se per Archiepiscopum Mediolanensem corona redimiri ferrea voluit, atq; ut ita apud posteros observaretur, instituit. Ea res maxima fieri ceremonia consuevit, quæ in Rituali antiquissimo continetur, in hunc modum. Perducto scilicet per Episcopos ex cubiculo in templum atque ad aram maximam Rege, Archiepiscopus post solennes aliquot precationes effusas populum alloquens interrogabat, Num se tali Regi subiicere, atq; illius mandatis & iussionibus constanti fide vellet obtemperare? Ubi verò populus se velle responderat, Regis caput, pectus, scapulas, atq; ipsas brachiorum compages oleo sancto ungebat, Deum orans, ut & in bello gerendo & in sobole propaganda votis eius annueret. Ornato inde ense, armillis, pallio, annulo & sceptro, coronam imponebat, & per chorum ductum in solio collocabat, atq; osculo pacis oblato divinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanensis Archiepiscopus egit. Ex quo tantum ei Ecclesiæ splendoris accrevit, ut in posterum contendere de dignitate cum Ravennate non dubitarit.* Idem lib. 8. de Conrado Imp. *His gestis magno inde honore Mediolanum intravit, ac regium ab Archiepiscopo diadema suscepit. Inde Modœtiam progressus ibi iterum coronari se, vetere renovata consuetudine, petiit. Et cum id necessarium esse Herebertus negaret, se Caroli Magni & posterorum eius exemplo permoveri respondit. Conradum inde imitati posteri ac successores eius pleriq; Modœtiensem quoq; coronam appetiverunt. Quam coronam Mediolanenses invidia perciti ad contemtum palearem vocarunt.* Inde profectus in Roncalias &c.

Pag. 93. *Henricum Imp.)* Imo & Fridericus noster III. cum esset Romæ ante diem Imperialis coronationis, inter missarum solennia, cum Sponsa sua Helionora Regis Portugaliæ F. de corona regni Longobardici sive Italici, quam superiores Imperatores Modœtiæ suscipere consueverant, quia pestis timore illuc accedere non potuit, Pontificis Nicolai V. manibus coronatus est in Basilica Petri apud altare maius, quæ *corona ferrea* (licet aurea sit) nuncupatur. Ita auctor Pontificalis.

Designans munditiam.) Unde nomen Leoni Imp. Argyro natum Cedrenus scribit, ἤτι διὰ τὸ καθαρότητα εἶν, εἴτε δὲ διὰ ἐυπρέπειαν σώματος, εἴτε καὶ διὰ πρατεῖον τῆς αὐτοῦ ψυχικοῦ.

Romam pergit.) Latius hic ingressus describitur in Pontificali, cujus hanc partem infra subjiciemus.

Romam venerit.) Fridericũ III. cum ad urbẽ venisset, prima nocte non ingressum. sed in campis sub pellibus sive castris excubasse more majorũ, veluti urbẽ obsideret & postridie demũ solemniter ingressũ, scribit in historiola coronationis eiusdẽ Nicolaus, Episcopus Hipponensis. Et antea Henrici III. & Friderici I. Impp exercitus ante urbem in pratis Neronianis (quæ vocantur) consedisse alibi legimus.

Iuramentum Romanis.) integrum ita habet: *Ego F. Romanorum Rex* (ita hic legendum) *futurus Imperator iure me servaturum Romanis bonas consuetudines suas: sic me Deus adiuvet.*

Missilia seu pecunias.) Munificentia vel consulibus olim usurpata. lib. 2. C. de consulib. Novella Justiniani 105. cir. fin. adeò ut nomen inde acceperit ὑπατείας, quod transiit etiam ad Cæsarem congiaria. Cedrenus de Hirena: ῥίψασα ὑπατείαν ἐν τῇ μέσῃ πολλήν, quod ita vertit auctor Miscellæ: *iactans liberaliter hypatiam.* Idem alibi: *iactantibus Imperatoribus hypatiam, & trimisia, & bemisia, & numisinata nova usq; ad magnam Ecclesiam.* Codinus in orig. Constp. de Justiniano, ἐποίησε ὕπατα, pag. 92. ubi non rectè versum: *fecit numos consulares.* Et insana hac in parte fuit profusio. Codinus sive Europalates: ἴσασι δὲ πλησίον αὐτοῦ ὁ τοῦ βασιλικοῦ βεστιαρίου ἄρχων, καὶ ἔχει ἐνδὸς τοῦ ἱματίου αὐτοῦ νομίσματα χρυσᾶ κεχυμένα πολλά: ἅ καὶ δραττόμενος ὁ βασιλεὺς σκορπίζει εἰς τοὺς περιεστῶτας. Corippus Africanus de Justino Imp lib. 4.

> —— *medioq; fori, qua divite dextra*
> *Egrediens Princeps sacra trabeatus ab aula*
> *Divitias vulgo solemni munere donans*
> *More nivis sparsurus erat.* ——

Imò etiam segmentis ex panno factis, numismata aurea tria, argentea totidem & obolaria tria involventes, ea magno numero projiciebant in populũ. quæ ἐπικόμβια & ἀπόδεσμοι vocat Curopalates & Pachymerius & Cantacuzenus.

Fandisserium.) Ita scribendum est, ut infra p. 96 barbara vox, pro suggesto vel ambone & (ut puto) à fando fabrefacta quod ex eo loco verba ad populum fiant Neq; Francogallis ignota. *Frandesteuf,* quod legitur in antiquis Chronicis Flandriæ, cap 51. & 76. *c'est le siege royal, sedes, solium, θρόνος,* ait Fr Raguellus in suo Dictionario Hoc est quod in Græco templo ad hunc usum excitatam Ἀναβάθρα, Codinus subinde vocat

Pag. 94. *Receptus in fratrem.*) Ibi Imperator fit Canonicus D. Petri: ut antea ex coronatione apud Aquisgranum factus erat Canonicus eius Collegii, nec non & majoris Ecclesiæ Coloniensis, ut in coronatione Maximiliani Imp. I. legimus. Quin & audio fieri Canonicum Bambergensis Ecclesiæ, ex instituto Imp. Henrici sancti. Illud hoc loco notatu dignum, neque prætermittendum est; Imperatorem coronatum ex antiqua consuetudine in omnibus cathedralibus Ecclesiis, atque etiam monasteriis, per Germaniæ regnum habere suffragium & facultatem unius Canonici pro arbitrio nominandi, quem collegium recipere debeat: quæ *Primariæ preces* vocantur, cuius rei etiam meminit D Gail. lib. II. obser. 155. in fin. Quod non omnibus peræquè notum, lubet uno atque altero diplomate Cæsareo illustrare.

KAROLUS DEI GRATIA ROMANORUM Rex semper August. & Bohemiæ Rex, honorabilibus Præposito & conventui Canonicorum regularium monasterii in Revengersburch ordinis Sancti Augustini Moguntinæ diœceseos, devotis nostris dilectis gratiam regiam & omne bonum. Assumpti divinitus quamvis insufficientibus meritis ad culmen regiæ dignitatis, libenter personas Ecclesiasticas promovemus ipsisq; gratiam nobis à Deo collatam gratiosius impartimur. Cum itaque nobis tam de jure quàm antiqua & approbata consuetudine à divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus observata competat, quod ex coronationis nostræ solenniis ad Romanorum regnum, quæ in nobis nutu divino dudum sunt completa, in quolibet monasterio in Imperio constituto unam tantum personam virtute primariarum precum nostrarum ad beneficium Ecclesiasticum facere possimus promoveri. Hinc est quod pro dilecto nobis Petro Conradi de Dylle presbytero devoto nostro dilecto vobis primarias dirigimus preces nostras, devotionem vestram attento studio inquirimus, & hortamur, vobis nihilominus per regalia sceptra mandantes, quatenus præfato Petro aut ipsius procuratori ac nomine & vice ipsius de beneficio Ecclesiastico cum cura vel sine cu-

gere valeas & debeas in singulis tam Kathedralibus quàm Collegiatis & conventualibus Ecclesiis & monasteriis utriusque, sex tàm secularium quàm regularium personarum; nec non ad prælatos & alias personas Ecclesiasticas quascunque, etiamsi Pontificali vel alia præfulgeant dignitate, in dictis civitatibus & diœcesibus, sicuti easdem preces per nos porrigere possemus: jus & potestatem porrigendi hujusmodi preces nobis competentes in tuam personam omni modo, forma, & jure, quibus melius fieri poterit, plenariè transferendo. Et si divina nobis suffragante gratia ad apicem imperialis culminis fuerimus sublimati, volumus & tibi favorabiliter concedimus tenore præsentium, quod tu preces primarias, ratione susceptionis imperialis coronationis nobis competentes, etiam porrigere valeas & debeas, in singulis Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis & Monasteriis, & apud Prælatos & quascunque alias personas Ecclesiasticas, seculares & regulares dictarum civitatum & diœces. omni modo, forma & iure, sicut de Primariis precibus ratione regiæ coronationis nostræ superius est expressum. Mandantes sub obtentu nostræ gratiæ, nec non sub pœna privationis omnium & singulorum privilevilegiorum, iurium & gratiarum & libertatum, quæ & quas à divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris obtinere dinoscuntur, districtè præcipientes omnibus & singulis Episcopis, Prælatis, Capitulis, Conventibus & personis Ecclesiarum & Monasteriorum Præfatorum, & aliis quibuscunque prædictarum civitatum & diœces. ad quos canonicarum & præbendarum dignitatum, personatuum & officiorum seu beneficiorum collatio, præsentatio seu receptio pertinet, & quorum ratione dictarum primariarum precium intererit, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, quatenus dictas primarias preces per te ipsis porrigendas cum promtitudine admittant, sicut tenentur, ac si per nos eis forent exhibitæ seu porrectæ. Dantes & concedentes tibi præsentibus plenariam potestatem, ut rebelles tibi in præmissis, si qui sunt vel erunt, ad admittendum & exaudiendum dictas preces, auctoritate regali &

etiam Imperiali compellere & cohercere per te & alios valeas: quemadmodum nos facere possemus, & prout Romanorum Imperatores & Reges in talibus casibus cohercere & compellere poterant & etiam consueverunt. Nec preces huiusmodi in dictis Ecclesiis & diœcesib. in præiudicium dictæ concessionis per nos tibi factæ pro aliquo porrigemus: Et si propter importunitatem petentium vel alio quovis modo per nos secus factum fuerit, nostras preces primarias pro aliquo nostris literis porrigendo, volumus quod tales litteræ tanquam per subreptionem obtentæ invalidæ sint, nec aliquam obtineant roboris firmitatem: præsentium sub regiæ majestatis nostræ sigilli testimonio litterarum. Datum Aquisgrani Anno Domini M. CCC. LXXVI. in octava beatorum Petri & Pauli Apostolorum, regnorum nostrorum Anno Bohemiæ XIII. Romani verò Primo.

Porta argentea.) Vide Onuphrium de Basilicis Urbis Rom.

Comite Lateran. Palatii.) Unus olim erat eius Palatii in Urbe Comes, cujus eximium hoc privilegium, Imperatori in actu isto inaugurationis & consecrationis honoris ergò assistere & ministrare. Quem Comitatum ab usurpatione Pontificum receptum & Imperio vindicatum, invenio Castrucio Castracani primo Duci Lucano à Ludovico Bavaro Romæ collatum: quod diploma, quia unicè huc facit, adscribere visum.

LUDOVICUS DEI GRATIA ROMANORUM Imperator, semper Augustus, Illustri Castrucio Duci Lucano, sacri Lateranensis Palatii Comiti, & Romani Imperii vexillifero, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam suam & omne bonum. Dignum est Maiestati Imperiali proprium, ut sicut quotidie fidelium augetur substantia & devotio, ita eis Imperiale culmen augeat dignitatis privilegia & honores. Sanè experientia docente novit Imperialis Majestas maximam fidem, devotionem, & constantiam tuam, & ante & post à nobis tibi collatos honores, ultra cæteros fideles Imperii de bono in melius quotidie profecisse. Ut

igitur

igitur præmissorum contemplatione ad ampliores dignitatum apices per Imperiale culmen tua devotio attollatur, de consilio & assensu procerum nostræ Imperialis Aulæ, tibi & successoribus tuis ex te natis & nascituris, per lineam masculinam in perpetuum, Comitatum sacri Lateranensis Palatii (quem ad fiscum nostrum & sacrum Romanum Imperium justis & legitimis causis devolutum & applicatum pronunciamus & declaramus, & ad omnem dubietatem tollendam devolvimus & applicamus) damus, concedimus, & donamus, & ex certa scientia, & plenitudine potestatis: & te & prædictos successores tuos in perpetuum eligimus, constituimus, præficimus & creamus Comitem & Comites ipsius sacri Palatii Lateranensis, vosque de Comitatu prædicto investimus & infeudamus, tanquam veros fideles Imperii & vasallos: dantes & concedentes, & tribuentes tibi & eis, omnes & singulos honores, & omnia & singula privilegia, & emolumenta, quos & quæ Comites prædicti sacri Palatii habent & habuerunt quoquo tempore, de consuetudine vel de jure. Declarantes & nunc per hoc nostræ serenitatis indultum, tibi & prædictis successoribus tuis, & prædicta comitatus dignitate competere jus assistendi perpetuò benedictioni, sacræ unctioni, & coronationi successorum nostrorum Principum Romanorum, & omnibus & singulis ipsius coronationis solennitatibus: & præcipuè sociandi & deducendi ipsos Romanos Principes, tempore coronationis fiendæ de eis, ad sacram unctionem de ipsis faciendam, & eosdem Romanos Imperatores successores nostros tenendi & juvandi in ipsa sacra unctione & actu ipsius, & eadem unctione perfecta, eos reducendi & sociandi ad altare, & thalamum, prout & quoties principes expediunt redire. Item jus levandi & tenendi Imperiale diadema, de nostro & successorum nostrorum Romanorum Principum capite, tempore quo Imperialis coronationis solennia celebrantur, & etiam quocunq; alio tempore, quoties publicè ipsum diadema expedierit elevare de capite nostro & successorum nostrorum Romanorum Pr. ac rūreponi. Quæ omnia & singula suprascripta valere &

tenere volumus, & jubemus ex certa scientia, de plenitudine potestatis, jure aliquo non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam in aliquo violare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis verò hoc attentare præsumpserit, gravem indignationem nostram se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium præsentes conscribi, & sigilli Majestatis nostræ robore, cum annotatione testium subscriptorum jussimus communiri: Rudolphi Ducis Bavariæ Principis & patrui nostri Carissimi, Henrici Ducis Brunsuicensis, Ludovici Ducis de Teck, Hermanni de Linthelberg Cancellarii nostri, Alberti dicti Symiel de Linthelberg Mareschalli nostri, Meinhardi Comitis de Hortenburg, Othonis Comitis de Corlamende, Ioannis Comitis de Claramonte, Conradi Comitis de Truchendingen, Conradi de Zoluselberg: nec non Nobilium Virorum Jacobi de Columna, Sciaræ & Jacobi de Sabellis, Senatorum Urbis. Datum Romæ 14. die mensis Martii, indictione 11. Anno Domini 1328. Regni nostri Anno XIV. Imperii verò primo.

P. 95. *olim Imperatores Pontifices.*) Facit locus Papiniani l. 50. D. de petit. heredit. *tamen Principali vel Pontificali auctoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis.* Conjunctæ enim apud Ethnicos hæ dignitates, ut qui Cæsar idem Pontifex Maximus, quod vel inscriptiones & numismata vetera abunde probant: inter quas memorabilis illa pontis à Trajano impositi Danubio: PROVIDENTIA. AUGUSTI. VERE. PONTIFICIS. VIRTUS. ROMANA. QUID. NON. DOMET. SUB. JUGUM. ECCE. RAPITUR. ET. DANUBIUS. Unde Cyprianus epistola quadam ad Antoniam, de Cornelio Episcopo Romano loquens scribit *sedisse eum intrepidum Romæ in sacerdotali Cathedra eo tempore, quo tyrannus Decius infestus sacerdotibus Dei fanda atq; infanda comminaretur: cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quàm æmulum sacerdotem.* Ausonius Panegyrico: *Unus more omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute Victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater, ætate filius, pietate utrumq; superat.* Et postea: *Pontificalis potius vocentur, quæ tu Pontifex maximus Deo participatus habuisti.* Quod tamen non abs re miror, cum Zosimus lib. 4. scribat, etiamsi Pontificatus

ratus honorem & titulum priores Principes acceperint, etiam Constantinus fidem Christianam amplexus, & illum ordine sequuti, usq; ad Valentinianum & Valentem; tamen Gratianum recusasse *ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας*. Sed de hoc alibi. Ita etiam apud gentes alias Reges sacerdotesq; simul fuerunt Ovidius de Ænea.

Hunc Anius, quo Rege homines, antistite Phœbus
Rite colebatur, temploq; domoq; recepit.

Gladium evaginatum.) Ut olim Præfectus Prætorio Imperatori gladium præferebat. De hoc, & sequentibus insignibus regalibus, quæ Græci *βασιλικὰ κειμήλια, ἐπίσημα* & *σύμβολα* vocant, Godefridus Viterbiensis parte 19 Chronicor. De quibus latius vide infra ad pag 103.

P 96 milite B.Petri facto.) Ut dubites, per hujusmodi honores aliquid personæ Cæsaris, an per hanc ipsis honoribus, tali collega in consortium recepto, ornamenti accedat.

Mitram, Pontificalem.) caputium, Synciput & aures strictè tegens, ut è picturis apparet.

Imperiale diadema.) Coronam potiùs tiaram, vel infulam, ut Justinianus vocat in l ult C de quadrien præscript. *ex eo tempore valituras, ex quo Imperiales divino nutu suscepimus infulas.* Non enim multum absimilis infulæ Episcopali, ut in Pontificali describitur, quod sub se tiaram quandam habeat in modum ferè Episcopalis mitræ, humiliorem tamen. magis apertam, & minus acutam: sitq; ejus apertura vel hiatus à fronte, non ab aure, ut in Episcopalibus: & semicirculum habeat per ipsam aperturam aureum, in cujus summitate Crux parvula emineat Quæ omnia ex picturis & sculpturis sunt notissima Vult autem dicere cristam illam coronæ intentam, qualem & Græci usurpabant in suo stemmate. *λόφον* dicentes, Cedrenus in Basilio: *Σεφάνῳ χρυσῷ λόφον ἐρυθρὸν ἔχοντι.* De qua versus sunt Godefridi Viterbiensis. Chronicor par 19 ubi de Regalibus insignibus tractat:

Dicitur augusto circulo super addita crista:
Publica res aucta planè monstratur in ista.
Qui diadema gerit, victor & auctor erit,

Idem sanè suavis in significatione Diadematis exponenda:

Hoc Diadema sonat, duplam conferre coronam,
Quod veterem Romam mundanaq; climata donat.

Hoc quicunque tenet, summus in orbe sedet.
Dupla corona manet, quia dum complectitur Vrbem
Continet & reliquum fastu diadematis orbem
Sic facis esse suas una corona duas.
Non loquor esse duas numeri ratione, sed actu
Vrbis & orbis habet solium Diadema subactum.
Hæc duo continuans omnia Cæsar erat.

Etsi verò Diadema nihil omnino minus sonat quam talem coronam (quamvis corona etiam illa radiata circa occipitium colligaretur ut in numismatis apparet) tamen quia idem corona Cæsaribus quod fascia illa olim Regibus Barbaris, vel Cidaris Persis; pro ea ὡλαχηνα-κῶς usurpatum est, etiam Græcis. Ita enim Corippus de Justino II. Imper. à Johanne Patriarcha Constantinopoli inaugurato:

— *sacro diademate iussit*
Augustum sancire caputsummoq́; coronam
Imponens apici feliciter —

Germani recentiores peculiari voce *Regnum* nominarunt. Riccard. Bartolinus in Hodæporico Matthæi Cardinalis: *Vix ad exitum perveneram, cum Cæsar Imperiali habitu, coronaq́; (quam Regnum Germani appellant) ad suggestum ascendit: assulebant Vladislaus, Sigismundus, Ludovicus Reges.* Ut similiter Papalis mitra *Regnium.* Jacobus Cardinalis Papiens. Commentar. lib. 2 de Paulo II. PP. loquens: *Porrò autem gemmis lapillisque admodum delectatus, conquisitis undiq; pretiosissimis, mitram quæ tribus educta coronis Regnium appellatur, atq; à Pontificibus multis antè seculis desita erat gestari, novam confecit atq; adhibuit. Cuius hodie licitantium opinionibus amplius centum & viginti est æstimatio.*

Dat ei Mantum.) togam auro illusam gemmisque & margaritis squalentem, quæ idem nostris quod priscis Cæsaribus paludamentũ Imperatorium; fibula & bulla aurea in pectore conclusam. Id genus vestis solemne, tam Imperatoribus quàm Patriarchis aliisq; Pontificibus commune Græci quoq; habuerunt, & Μανδύας jam tũ apud Themistiũ, vel τὰ Μανδία nõ semel legimus apud Curopalatem, & alios in Turcogræcia, ubi vertendum fuerit *manta,* non *mandyas.* Simeon Magister officiorum, δικλήσιον vocat: quod Græci rogati interpretabantur ἐπιμανδύον, quasi dicas *Supramantellum;* ut not. Leunc. in Pandect. Turc. cap. 199. Et omnino pleraq; ad Imperialem cultum pertinentia à Græcis, quorum antiquius fuit Imperium, mutuati Franci videntur.

De Carolo II. Imp. ita scribunt Annales Fuldenses sub Anno 876. *Karolus Rex de Italia in Galliam rediens novos & insolitos habitus assumsisse perhibetur. Nam talari Dalmatica indutus, & baltheo desuper accinctus pendente usq; ad pedes, nec non capite involuto serico velamine, ac diademate desuper imposito, dominicis & festis diebus ad Ecclesiam procedere solebat. Omnem etiam consuetudinem Regum Francorum contemnens, Graecas glorias optimas arbitrabatur. Et ut maiorem suae mentis elationem ostenderet, ablato Regis nomine, se Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium appellari praecepit.*

Tradit ei sceptrum.) de quo infra ad pag 103 Interea locum illum elegantẽ adscribere juvat ex Themistii Ecephradae oratione ad Theodosium, in quo eius aevi ornamenta regia recensentur, notatu dignissimum: Τιάρα οὖν ποιεῖ βασιλέα, οὐδὲ κάνδυς, οὐδὲ μανδύα, οὐδὲ ἀκινάκης χρυσοῦς, οὐδὲ στρεπτοί τε καὶ ψέλλια, οὐδὲ ῥαβδοφόροι καὶ δορυφόροι, καὶ μηλοφόροι, καὶ ἀριθμὸς στρατιωτῶν. Ita Florus de M. Antonio apud Cleopatram reside: *Aureus in manu baculus, in latere acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis. Diadema deerat, ut regina Rex & ipse frueretur.*

Et pomum aureum.) Μῆλον Graeci vocabant, & μηλοφόρον, qui Imperatori illud praeferret. Ab omni ferè antiquitate signum universalis imperii globus ille, quem etiam Augusti statua manu tenens Romae visitur De statua Justiniani Imp. Constantinopoli posita, Procopius & Codinus in Originib. ἔστησε τὴν αὐτοῦ στήλην ἔφιππον ἐπὶ κίονος: καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος σταυροῦ ἐν αὐτῇ ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως τῆς γῆς πάσης ἐγκρατὴς γεγονώς. Σφαῖρα μὲν ἡ γῆ διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος. πίστις δὲ ὁ σταυρὸς, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ προσληφθέντα σαρκὶ Θεόν. De eodem ab Imperatoribus Graecis gestari solito legimus apud Cedrenum fol. 307 Glycam pag. 380. Nicephor. Gregoram fol. 126. & in numismatis eorum videre licet, repraesentantis ab Antonio Augustino Dialogo 1. Tabula 7. Lipsio de cruce lib. 3. cap. 5. Jac. Gretsero Tomo III. De cruce lib. 1. cap. 20. A quibus Germani Imperatores mutuati deinde hoc ornamenti genus videntur, quod *globum*, *pomum*, *pallã* vocabant. Et Codini verbis optimè convenit descriptio Glabri Rodulphi lib 1. hist. Francor c. ult. *Venerabili Papae Benedicto sedis Apostolicae visum est, insigne imperiale quod prius diversis speciebus figuratũ fuerat, fieri admodum intellectuali specie: idque praecepit fabricari quasi aureum pomum, atq; circundari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Erat autem instar huius mundanae molis, quae videlicet in qua-*

dam rotunditate consistere perhibetur: ut siquidem illud respiceret Princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo. In ipso etiam diversarum gemmarum decoramine, videret Imperii culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. De eodem ita Godefridus Viterbiensis.

Aureus ille globus pomum vel palla vocatur,
Unde figuratum mundum gestare putatur.
Quando coronatur, palla ferenda datur.
Significat mundum forma perhibere rotundum.
Intus habet plenum terrestri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Ut foret Imperii manibus gestanda supernis.
Hac tulit imperium Iulius arte suum.
Taliter hunc mundum gestat manus una rotundum:
Regius includit sic omnia climata pugnus:
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

Et postea quid significet Crux super imposita:

Crux superest pomo, cœli super insita dono.
Suscipe corde bono, Rex, quæ tibi mystica promo:
Teque sedente throno, prospice quid sit homo.
Crux & palla simul pariter connexa tenentur.
Hæc magis, illa minus per te reverenda videntur:
Hæc ferit, hæc sanat: hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata crucis tibi sunt reverenter habenda.
Servulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Designat aurum.) Erinna Lesbia Romanam vocavit olim χρυσομίτρην, *auro coronatam.* Ibidem Godfridus:

Aurea materies regalibus apta coronis,
Indicat imperium mundi superesse patronis.
Circulus est orbis forma rotunda Soli.
Aurum cuncta suo superat fulgore metalla:
Imperium superat, quos orbis continet aula,
Et bene Romuleo iure gubernat eos.

Suscipit innumeras aurum tractabile formas:
Suscipit & varias Romana monarchia normas,
Flexibilis, facilis, aurea forma suis.

Ibidem exponit, Quid significent gemmæ pretiosæ in corona, & quis eas instituerit.

Aurum coronarium.) & lustrale, de quorum utroque in posterioribus libris Codicis. Id quod etiam Judæi (ut hic addit) Romanis Principibus pendebant, pro ut antea Regibus pependerant, ut legimus 1. Machabæ. cap. 10. 11. 13. & Josepho lib. 14. Antiquit cap. 20. & lib. 6. cap. 10. Panegyrista ad Constantinum M. *Meritò tibi senatus signum Dei, & paulo ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt: debetur etenim & divinitati simulacrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati.* Themistius orat. XIII. Χρυσοῦν τινα στέφανον πολλῶν ταλάντων.

Laudes Imperatoris.) Elogia & preconia novi Cæsaris, bonis ominibus & votis juncta: βασιλικὴ εὐφημία apud Zonaram. Cuius formula subinde apud Codinum: Πολυχρόνιον ποιήσαι ὁ Θεὸς τὴν κραταιὰν καὶ ἁγίαν βασιλείαν σου εἰς πολλὰ ἔτη. Unde uno verbo πολυχρονίζειν & πολυχρονισμὸς ea contilena subinde apud illum dicitur, & Codinum, Liutprandum, alios.

Pag 97. *Salus & Victoria.)* Ut olim Principibus à populo acclamabatur; *Feliciter Domino, feliciter Victoriæ felicissimè, Dii te servent, Vita & Victoria, εἰς αἰῶνας,* in ævum. De qua re Lipsius 2 Elector. cap. 10. Petr. Fab. 1. Semestr. cap 14. Ἀλεξίου καὶ Ἀνδρονίκου μεγάλων βασιλέων, πολλὰ τὰ ἔτη, apud Nicet. Choniatem. Ita Corippus de Justino juniore.

Iustino vitam ter centum vocibus optant.
Tu vincas Iustine, canunt —— Et alibi:
Iustinum Sophiamq; pares duo lumina mundi
Esse ferunt: Regnate pares in sæcula, dicunt.
Felices annos Dominis felicibus orant.

Et Ligurinus in coronatione Friderici, lib. 4.

Omnibus egregiè lætis, totaq; caterva.
Acclamante viro faustum feliciter omen.

Offerens ad pedes eius aurum.) Sine quo Romæ nemo acceptus. Lupus Abbas Ferrariæ sub Carolo Calvo Rege, ad Marcuardum Abbatem Prumiensem Epist. 68 *Orationis gratia, & quarundam Ecclesiasticarum studio causarum Romam proficiscor: & quoniam in efficiendis rebus Apostolicis*

notitia indigebo, ea verò sine munerum intercessione mihi commodè non potest &c.

More Subdiaconi offert.) quippe jam paulo ante factus Canonicus eius Ecclesiæ supra. pag. 94.

Cum osculo pacis.) imitatio Samuelis, de quo 1. Regum 10. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saulis, & deosculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.* Idem & Mediolanensis fecerat, ut ex Sigonio notavimus supra ad Pag. 92.

Sacram communionem suscipit.) Omnia superiora ferè complexus est illo loco Ligurinus, in coronatione Frideri I. Imp. lib. 4.

> *—— mox limina sacra petentem*
> *Sedis Apostolicæ, divinis ritè peractis*
> *Obsequiis, sacra redimitus veste sacerdos*
> *Summus ad alta sacri duxit altaria Petri*
> *Innexum digitis, mundi totius honorem*
> *Imposuit, pressitq; sacro diademate crines.*
> *Sacraq; Missarum peragens solennia ritu*
> *Nobile cœlesti munivit fœdere factum:*
> *Omnibus egregiè lætis, totaq; caterva*
> *Delamante viro faustum feliciter Amen.*

Freno adextret.) Id est *Dextrare*, equum freno ducere. *Dextrator*, hoc modo ministrans. Forte & hinc *Dextrarius*, equus armiger, *Destrier* Gallis.

Larga Præbitoria.) Neminem liberalitatis Cæsareæ expertem manere fas est. Idem Græcis Imperatoribus solemne fuisse in Theophane & Miscella subinde legimus.

Creare milites.) Equites auratos, quos vocant. Quod etiam in basilica Aquisgrani inter coronationis solemnia factitat Imp. percutiendo eos super scapulas aut dorsum gladio Caroli M. Id genus equites in torneamento celebrato Noribergæ Anno 1433. non fuisse admissos, quotquot ita milites facti fuissent Romæ à Sigismundo Imp. annotavit Andreas Ratispon. in Chron. Bavar.

Vbi manere consuevit.) nimirum in Palatio vel Patriarcheio Lateranensi, quod adjunctum est Basilicæ sive Ecclesiæ Lateranensis: de quorum utroque latè scribit Onuphr. Panvinius in lib. *De præcip. Vrbis basilicis*, toto cap. 4. Id verò Palatium licet cum aliis urbis partibus

Cæsarem

Cæsarum indulgentia in Pontificum manus venerit, honorario tamen quodam Comitinæ titulo veteris Domini memoriam verbotenus conservavit, apud eos qui *Comites Sacri Palatii Lateranensis* dicebantur: quorum potissimum hoc munus erat, Cæsari eo loci coronæ accipiendæ ergò diversanti adesse & ministrare, ut supra est expositum ad pag. 94.

Denique ut aliquid peregrini admisceamus, tædio lectoris levando, similes ferè huic nostro Germano-Romano processus coronationis Byzantinorum Cæsarum apud Constantinopolim fuit. Coronandus enim Princeps jurabat Patriarchæ ante omnia de conservandà religione orthodoxà P Diacon pag 540. 676 786. 798. Zonar. Tom. III. fol. 44. & 102. Jurabat autem, ut nostri per sacrosancta Evangelia, ita ipse per sacrosancta & vivifica crucis ligna. Diac. pag. 687. 715. 717. 731, 766. Cavebat etiam de confirmandis juribus & privilegiis Ecclesiæ, Nicetas fol. 268. Atque ita benedicebatur, ungebatur, & coronabatur stemmate aureo regio, manu Patriarchæ (qui & ipse plerunque antea in consilium electionis adhibitus, P. Diac. pag. 493 500. 656.) in templo summo S. Sophiæ, ibid. 540. 647 786. ut veluti de manu Christi sumptus videretur, ibid. pag. 731. seq. & in ipso ambone. Cedren. fol. 534. 497. Postea renunciabatur & preconisabatur publicè. Diac. 540. aliquando in Hippodromo. pag. 786. Ibi à populo ei acclamabatur, laudabatur, quæ βασιλικὴ illa εὐφημία. Nicet. 136. Paulo post & Augusta eodem ritu inaugurabatur, ut apud Diac. 540. 550. 665 simulque Imperatori desponsabatur, ut Heraclio. pag 550. Leoni Hirena. pag. 724. Stephano Anna Cedren. 518. Quorum omnium rituum verba, formulæ, solemnia minutatim cognosci possunt tum ex illis Byzantinis scriptoribus jam laudatis, tùm è Curopalate, sive Georgius Codinus is est, qui officia & ordinem Aulæ descripsit, titulo περὶ στεψεως βασιλέως, pag. 175. usq; ad finem. Quædam & Leunclaius (heu quondam noster) in Pandect. Turc. pag 406. cum seq.

CAPUT VII.

PAg. 98 *De benedictione Reginæ.*) Rex Persarum, ut Plutarchus autor est, in lib. *Quod Princeps debet esse sapiens*, existimabat omnes

ſubditos eſſe ſervos ſuos, excepta conjuge ſola, cuius magis quàm aliorum eſſet Domina. Idemque Rex non ſemper, ſed ſtatis tantum horis Reginam ad ſe intromittere ſolebat, ut Sulpitius Severus meminit lib. II. Et hac in parte aliæ aliis populis conſuetudines fuerunt. Romani autem Cæſares sereniſſimam Auguſtam æquo omnia jure ſecum eſſe voluerunt, ut Juſtinianus profitetur in L 3 C. de quadrien. præſcrip. & aliis locis. Et ſuſceptis infulis imperialibus, pauló poſt eaſdem manu Patriarchæ conſecratas, conjugibus ipſi impoſuerunt, ut apud Theophanem, Cedrenum, Zonaram legimus. Georgius Codinus Tit. de coronat. Imp. Κατερχόμενος τοῦ ἄμβωνος ὁ βασιλεὺς λαμβάνει ἀπὸ τῆς τοῦ Πατριάρχου χειρὸς τὸ στέμμα εὐλογηθὲν πρότερον παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ τῆς ἑαυτοῦ γυναικός. ἡ δ' εὐθὺς προσκυνεῖ τὸν βασιλέα καὶ ἄνδρα αὐτῆς ὥσπερ ὁμολογοῦσα ὑπ' αὐτὸν εἶναι καὶ ὑποτετάχθαι αὐτῷ &c. Quid veró hac parte Germani noſtri Cæſares in more habuerint, ex hoc capite diſcimus. Sanè ne quid Auguſtæ Imperatrici ad maieſtatem deeſſet, inter alia officia eius uſibus deputata Cancellarium etiam ordinarium & perpetuum ei adſignarunt, Abbatem Fuldenſem, Principis jura habentem: ſed & Archiſacellanum tribuerunt Abbatem S. Maximini apud Treveros.

Thalamum palleis ornatum) id eſt tapetibus, ſtragulis ſericis auro argentoque intextis, qualibus altaria in templis inſterni ſolent. Gloſſarium vetus Latino *Belgicum: Palla, Elterlaken.* Gregor. Turonenſis lib. 7. cap. 22. *Apprehende pallium altaris, infelix, quo ſacra munera conteguntur.* Heyto epiſcopus Baſilienſis viſione Wettini Augiens. cap. 12. *Dona magnifica & innumerabilia, in palleis & vaſis argenteis* &c. Quod ibidem Walafrid Strabus ita vertit carmine:

Pallia, & in vaſis —— Theotulphus parænesi ad Judices:
Alter ait, mihi ſunt vario fucata colore
Pallia, quæ miſit (ut puto) torvus Arabs.
Quo vitulus matrem ſequitur, quo bucula taurum,
Concolor & vitulo buculo, bosq; bovi.
Splendorem ſpectes, iunctamq; coloribus artem,
Vtq; rotas magnis iuncta ſit arte minor.

Cum duabus pell.) ut è Pontificali libro conſtat legendum hic eſt, cum duabus puellis, id eſt, virginibus ſive matronis, è Gynecæo nimirum ſuo ſibi moris & honoris ergo adſtantibus & miniſtrantibus. Nam

Nam & olim quamvis matronam incomitatam in publico comparere indecens visum fuisse notum est.

Pag 99. *Sic Fridericus III.*) Cujus cum sponsa Heleonora solennis hæc coronatio præter Rotewinckium, Cuspinianum. Urspergensis continuatorem, & alios, peculiari libello Teutonicè descripta extat per Nicolaum Episcop. Hipponensem, ut in elencho Tomi II. Germanicarum rerum indicavimus. Latinè enim nondum videre licuit.

Anno M. CCCC. LII.) Marianus Socinus in c. cum contingat. col. 2. De foro comp. notat annum M. CCCC. LI. Quod esset verum computando more Gallico à Paschate, alicubi Carolus Molyneus.

Nuptiarum & Imperii coronas.) Nuptialis festivitatis signum, inter alia, ab omni antiquitate fuerunt coronæ, quas Sacerdos sponso & sponsæ imponebat, & octavo post die rursus demebat, non sine solenni precatione. Georgius Monachus in Tract. de matrimon. γάμος ἐστὶν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνάφεια: εἴτε δι' εὐλογίας εἴτε διὰ στεφανώματος, ἢ διὰ συμβολαίου. In Euchologio Græcorum vocatur ἀκολουθία στεφανώματος, *officium coronationis*. Vide etiam Gubert. Constant. §. 17. De ritu nupt.

Friderico post Heraclium.) Imò etiam Leoni ita juncta est Irene ut Historia Miscella habet lib. 22 pag. 724. & Stephano Romani F. Anna, apud Cedrenum fol. 518. Sed nimirum hos Latini inter Augustos non computabant

Gersick nuncupatum.) Georgium Podiebracium Regem intelligit: quem Bohemi ita vocabant suo idiomate. Extat Disputatio Pragensis Ecclesiæ cum Rokyzana coram isto *Gyezikone seu Georgio Rege* habita anno M. CCCC. LXV. In eius designatione Regis definit historia Bohemica Æneæ Cardinalis Senensis: cujus continuatio sumi potest ex Jacobi Piccolominei Cardinalis Senensis commentarior lib. 6 Multa quoque de huius Georgii Regis rebus gestis & fortuna habet Curæus in Annalib Silesiæ.

CAPUT VIII.

E*xcellentiam.*) Qua quidem nullam post hominum memoriam in ullo regno extitisse majorem, in confesso est. Omnino enim à Deo proximus Cæsar palam habebatur. Eutropius lib. 8 de Trjano

loquens: *Ob hoc per orbem Deo proximus nihil non venerationis meruit.* Ausonius de Gratiano: *Deus, & qui Deo proximus tacito munera dispensat arbitrio.* Arnobius lib. 4. *Diis proximi atque augustissimi Reges.* Ita Symmachus lib. 10. epist. 27. *Deo proximum virum*: & epist. 32. *in rebus dubiis divina quæque vel Deo proxima consuli.*

Pag. 100. *Per Cæs. Augustum.*) Hoc ipsum M. Aurelio Antonino Imp. eleganter proponit Melito Episcopus Sardiensis, apud Eusebium lib. 4. Eccles. histor. cap. 26. *Philosophia hæc*, inquit, *qua nos utimur, primum introducta est Romanæ vestræ conversationi Augusti temporibus, ex quo & regni vestri sublimius culmen ascendit, observantiæ huius auspiciis elevatum. Cuius imperii feliciter propagati tu felix successor existis. Itaque fidem quæ cum ipsius Augusti felicitatibus adolevit, integram tu quoque nunc regnans conserva: quia nec ipsi Augusto in ingressu eius, vel in progressu, triste aliquid accidit: sed è contrario læta omnia, & omnia magnis successibus plena, observantibus Deum summum pro Imperii eius statu vel gloria huiusce cultoribus*, &c. Et plura huc facientia notavimus supra ad pag. 50.

In illo tempore nasci.) adeoque civis Romanus nasci, ut ait P. Diacon. lib. 7.

Reddite Cæsari.) De hoc dicto Domini extat peculiaris Theologistorica dissertatio nostra, in qua multa ad hunc locum propriè facientia.

Pag. 101 *Potestatibus præeminere.*) ὑπερέχειν D. Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 14. εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. Tertullianus Apologetico cap. 33. *Imperatorem necesse est suspiciamus, ut eum quem Dominus noster elegit. ut meritò dixerim, noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus.* Et postea: *Temperans maiestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subiicio: subiicio autem, cui non adæquo. Non enim Deum Imperatorem dicam*, &c. De Athanarico Gotho scribit Iornandes, à Theodosio Imp. Constantinopolin invitatum, situm urbis & magnitudinem, commeatumque navium, & populorum diversitatem militumque ordinem miratum dixisse: *Deus sine dubio terrenus est Imperator: & quisquis adversus eum manum moverit, ipse sui sanguinis reus existit.* Et Theodoricus Gothus Italiæ Rex ad Anastasium ita scribit:

Vos

Vos estis regnorum omnium pulcherrimum decus: vos totius orbis salutare præsidium. Quod cæteri dominantes iure suscipiunt, quasi in vobis singulare aliquid inesse cognoscunt, &c. apud Cassiodor. Epist 1. Et Athanaricus ad Justinianum Imp. *Vobis gloriosi Principes, cum sitis absolutè mirabiles, aliquid tamen additur, cum vos omnia regna venerantur.*

Potestates à Rom. Imperio.) Consueverat illud, dum in flore esset, Reges & præsides aliis gentibus dare, Judæis, Syris, Parthis, Albanis, Colchis, Iberis, quin & Gallis quibusdam & Germanis, si Tacito credimus: *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam Reges manserunt ex gente ipsorum: iam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana.* Seneca in persona Neronis, lib. de clementia: *In mea potestate est, quos Reges mancipium fieri, quorumque capiti regale decus circumdare oporteat.* Qua de re plura alibi notavimus. Sed & everso direptoque per Barbaras gentes Imperio, & ad illas angustias redacto illa tamen reverentia mansit, ut ab eo tanquam summo & primo Regales & Ducales dignitates & tituli petendi viderentur. Exempla in Regibus Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ: Ducibus non tantum Sabaudiæ, Cliviæ, Wirtenbergæ, Munsterbergæ: sed etiam Ferrariæ, Mantuæ, Radziviliis in Lituania & aliis.

Leges ab omnibus observandæ.) Multa in hanc rem Franciscus Zoannetus in Tract. de Imperio Rom. *Ius Romanum* (ait Maranta Disputat. 2.) *est adhuc in viridi observantia, & eo iure præsumitur quilibet vivere in regno nisi adversum probetur* &c.

Ecclesiastici quoque.) Vide Hincmari Episcopi Remensis epistolam 7. cum seq.

Pag. 102 *Dominus Mundi.*) Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ait ibi Antoninus Imp. & in eius quodā denario argenteo apparet titulus: RECTOR. ORBIS. sed intelligendum est de orbe Romano. Ita dicitur, quod ex orbe toto possidebant Romani, ut *orbis Christianus*, quod Christiani habemus. Lucanus *orbem Thessalicum*, itemq; *orbem Ibericum* dixit pro Hispania, & *orbem Arctoum* pro Gallia & Germania. Ligurinus *orbem Teutonicum*, lib. 10 & olim C. Pedo Albinovanus ad Liviam: *Et modò Germani Romanus cognitus orbis.* Et cum ex Hispania in Italiam, inde Græciam transitum moliretur Cæsar, inquit:

Victrices aquilas alium laturus in orbem.

qui alibi de eodem:

Hic cui Romani ſpacium non ſufficit orbis.

Orbis Romani crebrò meminit Marcellinus, & Ulpianus in l. 17. D. de ſtatu homin. Aurelianus, ut auctor eſt Trebellius Pollio, ſcribens ad Zenobiam ſic exorſus eſt: *Aurelianus Imperator Romani orbis.* Tertullianus de Pallio Rus vocat: *Revera orbis cultiſſimum huius Imperii rus eſt, ſuper Alcinoi pometum, & Midæ roſetum*, Ambroſius *ditionem Romanam.* Ergo mundum, ut ut magnæ eius partis domini fuerint Romani, totam nunquam habuerunt. Vel Romano Poëta agnoſcente, cum apud Getas non volens degeret & libere ſcribente:

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Auſonii militis arma timet.
Dant illis animos arcus, plenaque pharetra,
Quemlibet & longis curſibus aptus equus.

Regno autem Chriſti uni & ſoli hoc convenit, ad quem dictum eſt à Deo Patre: *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem terminos terræ.* De quo etiam accipiendum oraculum illud apud Joſephum, naſcituri apud Judæos cujuſdam totius orbis monarchæ, non de Veſpaſiano: ὁ γὰρ ἁπάσης τῆς οἰκουμένης τούτου, ἣ μόνης ἦρξεν τῆς ὑπὸ Ῥωμαίοις. ait Euſebius lib 3. cap. 8. Paulinus Nolanus, epiſt. ad Militem: *Ipſe Cæſar Chriſti ſervus ſtudet eſſe, ut aliquarum gentium Rex eſſe mereatur. Neque enim quicunque terrenus Rex totius terræ dominus eſt. Chriſtus autem totius mundi Dominus & Rex eſt.* Et ut ait Propert. lib. 2 de vocat. Gent. cap. 16. *Gratia Chriſtiana non contenta eſt eoſdem ſimiles habere, quos Roma multosq; iam populorum ſceptro crucis Chriſti illa ſubdidit, quos armis ſuis iſta non domuit.*

Super omnes Reges.) Hoc vult epitheton, Allerdurchleuchtigſt.

Iudæi ſub eo.) Hi veteri inſtituto Imperialis Cameræ ſervi habentur & mancipiorum conditione fiſco Cæſareo ſubditi ſunt, ut etiam in Ruperti Regis diplomate infra ad pag. 108. exhibito legimus: *Iudæos Cameræ noſtræ ſervos acceptandi & defendendi.* Et à neſcio quo Cæſarum, dum Wormatiæ reſideret, aulæ ſuæ Camerario è familia Dalburgia, jus illud in Judæos datum legere memini: quod hodieque illius poſteri, una cum gentilitio nomine *Camerarii Wormatienſes* dicti *de Dalburg*, obtinere noſcuntur.

Omnes

Omnes provinciæ.) quæ quidem Notitia illa Imperii utriusq; comprehensæ sunt. Extat Typus Imperii Romani ab Ortelio elegantissimè forma ænea expressus. Amplitudinem autem Imperii loquuntur ipsæ constitutiones Impp. tribus codicibus collectæ, tàm variis & distantibus Europæ Asiæq; provinciis & civitatibus editæ. Quod etiam miratur Aristides Rhetor, oratione in Romam.

Omnia in potestate Imp.) Unde *Rerum Domini* solemnis Cæsarum titulus. Sed rectè Seneca de Beneficiis lib. 7 cap. 4. *Iure civili omnia Regis sunt: & tamen illa quorum ad Regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt.* Et cap seq. *Sub optimo Rege omnia Rex Imperio possidet, singuli Dominio.* Et cap. 6. *Cæsar omnia habet, fiscus eius privata tantum ac sua: & universa in imperio eius sunt, in patrimonio propria.* Huc pertinet nobile illud responsum D. Ambrosii ad Valentiniani Imp. missos, Epistola XXXIII. *Convenior à Comitibus & Tribunis, ut Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo uti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, Si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, non refragaturum: quanquam omnia quæ mea sunt essent pauperum. Verum ea quæ divina, Imperatoris potestati non esse subiecta.* Et Theodericus Rex apud Cassiodorum lib. 5. cap 24. *Magis illa nostra sunt patrimonia, quæ à subiectis legitimè possidentur.* Ita Fridericus apud Guntherum lib. 3. Ligurini:

Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,
Iure quidem nostrum, populo concedimus usum.

Plus de facto quam iure.) Fusissimè hanc rem pertractat Vasquius Illustr. Controvers. cap. 21.

Rege Franciæ.) Vide Lupold Bebenpurg. cap. 7. circa fin. Johan. Bodin. de Republica lib. 1 cap 8. ubi etiam de Hispania.

Pag. 103. *Tollere alicui rem suam.*) Symmachus pro sacris patrum ad Impp. *Omnia regitis, sed suum cuiq; servatis: plusq; apud vos iustitia quam licentia valet.* Vexatissima apud Iuris interpretes hæc quæstio, An princeps tertio jus suum tollere possit? De qua D D. in l. 2 C. de precibus Imp offerend Brun cons. 12 num. 129. & seq. Alciat. cons. fol. 165. Ægid Boss in Practica, Tit de Principe, num 187. & seqq Alber. Gentil lib. 2 Lection. cap. 14 & 2 Disputa. pag 37. & sep. Illud ferè convenit, ex caussa magna posse, & erga subditos proprios, & si velit

expressè, nec enim velle præsumi. Caussam autem maximè urgentem esse, utilitatem publicam, cuius in toto jure multa sunt singularia & favores eximii, de quibus latè Petr. Faber. lib. 1. semestr. pag. 164. Idque non titubanter pronunciavit Æneas Sylvius lib. de ortu & auctorit. Rom. Imp. ad Fridericum, cap. 17. & seq. *Nempe liberum est Imperatori, inquit, non solum homini nequam, sed etiam viro bono ac de Republica benè merito proprium agrum, proprias domos, propriasque possessiones auferre, Reipublica necessitas id expostulat* &c. Quo tamen etiam casu duo servanda fuerint. Unum, ut non nisi parcissimè hoc fiat, nec voluptas pro utilitate habeatur, exemplo Augusti, qui forum suum angustius facere quàm extorquere possessoribus proximas domos maluit, Suetonio teste cap. 56. Alterum, ut vel justo pretio vel alia ratione læsis damnum repensetur, nobili exemplo Constantini Imp. apud Eusebium lib. 10. cap. 5 Cuius æquitats etiam exempla observari apud Glycam pag. 351 & 373.

Alienare iura Imperii.) Multa in hanc rem disputant Doctores, quorũ nihil huc afferam, sed tantum notabile apopthegma Friderici nostri Imp. III. ad quem hic liber scriptus est, quod Æneas Cardinalis Senensis ad Alfonsina Panormitani notavit; *Iurasse Fridericum*, inquit, *nunquam comperi, nisi cum in civitate Aquensi apud Belgas, & cum Romæ coronatus esset: idque iuramentum constantissime tenuit. Cum enim iureiurando promisisset, Quæ bona possideret Imperium, nullatenus alienaturum, & modo hoc, modo illud ex eo peteretur, maluit avarus negando, quàm concedendò periurus videri. Eamque ob causam petenti Borsio Marchioni Estensi ducatum Mutinæ & Rhegii tam diu restitit, donec monstratum est eundem ducatum lucri magis quàm alienationis speciem habere. Quam rem nos ei potissimè suasimus.* Simile juramentum præstare in coronatione sua Regem Hungariæ *iura Regni sui & honorem coronæ illibata servaturum*, legimus in c. intellecto 33. Ex. de jurejurando. Et in Gallia quoque Rex sine publico gentis concilio, quod vulgo Trium Ordinum conventus appellatur, nec alienare quicquam ac ne oppignorare quidem potest. ut cum alii Pragmatici omnes, tum præsertim Paponius testatur Arrest lib. 5. tit. 10. artic. 4. Qua de re latè & eleganter Hotomanus Illustr quæst. 1. Sed de nostro Imperio ut dicamus, exemplum insigne habemus magna controversiæ inter Papam & Othonem IIII. Imp exortæ Anno M. CC. II propter Marchiam Apuliæ, quam Imperator ad Impe-

Imperium, Papa verò ad Ecclesiam Romanam pertinere contendebat, per donationem testamentariã Dominæ Mathildis, filiæ quondam Rorgeri Principis Siciliæ & uxoris Conradi Regis, Henrici IIII. Imp F. Quam donationem per mulierem sine consensu Principum factam Ecclesiæ Imperator invalidam esse prætendebat: adeò ut cum ea de causa Marchiam Papæ nollet concedere, ab illo excommunicaretur. Aliud est exemplum Caroli IIII. Imp. cum Wenceslaum filium Cæsarem designandum curasset, Anno M. CC. LXX. Promisit (inquit Nauclerus) Electorum cuique centum aureorum millia pro consensu: quæ cum solvere non posset, obligavit illis telonea & vectigalia imperialia oppida, proprietates & jura titulo pignorum. Ex quo insurrexit disputatio grandis. Una enim pars probare contendebat, *quod non liceat, neque expediat exossare Imperium*: alia asserebat *rationabiliter hoc factum, ne ipsorum Electorum regiones graventur à potentioribus*. Hæc ille in Chron. Generat. 46. Neque tantum Imperatori ditiones Imperii diminuere aut alienare nefas, sed neque Electoribus suos principatus: cum Aureæ Bullæ cap 20 certæ cuique Principi Electori ditiones dignitatis tuendæ caussa sint attributæ: quas ipsorum arbitratu deminui jus non sit. Quod & Statutis familiæ apud eos sigillatim cautum est.

In insignis.) Insignia hæc Imperialia *Regalia* vocantur, Königliche Zier/ βασιλικὰ κειμήλια, κόσμια, ἐπίσημα, & σύμβολα, quibus ceu secretioribus quibusdam fisci regalis clinodiis Imperator inauguratus investiebatur. De his peculiariter tractat Godefridus Viterbiensis parte 19. Chronicor. *De regalibus insignibus.*

Sunt quatuor.) Sed præter hæc quatuor Augustalis dignitatis propria ornamenta, quæ hic ponuntur, plura sunt clinodia, reliquiæ & anathemata, quæ ex parte enumerantur in vita Henrici IIII. Imp. ab anonymo, cum ait filium eius Henricum misso legato mandasse, *ut absq; mora sibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraq; regalia transmitteret.* Quod & ipse Henricus illi in quadam epistola objicit. *Lanceam & crucem, & omnia regalia insignia, vi & timore mortis à nobis extorsisti.* Plura autem his enumerantur à Dubravio lib 22. histor Bohem. & Rebdorffio Anno M. CCC. L. *Consueverant Cæsares insignia Cæsarum cum sanctis quibusdam reliquiis apud successores deponere, quæ tunc omnia Ludovicus Brandebur-*

genſis poſt obitum patris Ludovici Bavari Imp. in ſua poteſtate habuit: videlicet lanceam qua perforatum fuit latus Domini, dextra portio S. Crucis, cum uno clavo, & mappa, qua ultima menſa Domini ſtrata fuit, ac gladium Caroli Magni, & alia plura: non magni videlicet cuncta precii apud talium rerum contemtores: at apud Carolum in tanto precio poſita, quanto nulla res profana vel pretioſiſſima. Ea ille tradidit Carolo Regi in Nurenberg, qui in Bohemiam in civitatem Pragenſem illa deducit. Quam verò ipſe lanceam lateris Dominici perforatricem laudat, Longino ſcilicet cuidam uſurpatam, eadem Conſtantino M. adſcribit Sigebertus & Limprandus Mauricio Godfridus Viterbienſis, Carolo Magno continuator Bedæ: ut ſuperſtitionis mater mendacium nuſquam ſibi conſtat. Hodie illa clinodia apud civitatem Nurenbergenſem aſſervari dicuntur.

De primo ſupra.) De diademate Imperatorio nos quoq; ſupra ad pag. 96. plura annotavimus: Quibus hoc tantum, occaſione clavi domini modò inter clinodia Regalia enumerati, addemus, quod Ambroſius ſcribit Oratione in obitum Theodoſii Imp. *Quæſivit Helena clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem. Miſit itaq; filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum: quas precioſior ferro innexas crucis, redemptionis divinæ gemma connecteret. Miſit frenum. Utroq; uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges. Sapiens Helena, quæ crucem in capita Regum levavit, ut crux Chriſti in Regibus adoretur. Non inſolentia iſta: ſed pietas eſt, cum defertur ſacræ redemptioni. Bonus itaq; clavus Romani Imperii, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem. Rectè in capite clavis, ut ubi ſenſus eſt, ibi præſidium. In vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut poteſtas regat.* &c. Ita apud Gallos, Spatha B. Petri inter regalia Francorum Regum habetur, Aimon. lib. 1. cap 36. Et vexillum B. Dionyſii, quod *Criſiam.he* ipſi vocant, ut legitur in annal. M. C. XLVII. & Rigord. annal. M. C. XC.

Gladius.) Hic olim præferebatur Imperatori per Præfectum Prætorio, apud Lampridium. Arma Imperatoris & ad fortitudinem in hoſtes, & juſtitiam in facinoroſos. Unde & Juſtitiæ gladius in dextra pingitur G Codinus pag. 101. *διὰ τῆς σπάθης τὸ ἐξουσιαστικόν.* Imperatorium ſignum quibuſdam Cæſaribus in manu expreſſum conſpicitur in eorum ſigillis & numiſmatis, ut Rudolpho, Henrico VII.

Friderico

Friderico III. Wenceslao, Sigismundo, apud Goltzium in Cæsaribus. De hoc ita Godefrid. Viterbiensis d. loco:

Iudicii signum gladius monstrare videtur
Quo malefactorum feritas cessare iubetur,
Vt latro frustretur, Rex tenet arma secus.
Præcipitur gladius vibratus semper haberi,
Puniat ut subito, potuit quod culpa mereri:
Nam si tardus erit, pax vacuata perit.
Ense quiescente compescere non valet orbem.
Sanguinis humani torrente potest moderari.
Qui regnare volet, sanguine iura colet.

Atq; ita in coronatione Wilhelmi Imp. Saxo ensifer dixisse legitur: *Accipe ensem regium, ut rebelles severa correptione potenter affligas, omnesq; benevolos in tranquilla pace gubernes.*

Sceptrum.) Antiquissimum apud omnes gentes Regiæ dignitatis signum sceptrum. Unde σκηπτοῦχοι βασιλεῖς Poëtis dicuntur. Apud Homerum Achilles iratus jurat per sceptrum quod manu gerat: Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον. Νῦν δ' αὐτὸ μὲν υἷες Ἀχαιῶν ἐν παλάμαις φορέουσι δικάσπολοι, οἵτε θέμιστας πρὸς Διὸς εἰρύαται. Apud Græcos in sceptris summis positæ erant aves, in Regum verò aquila. Interpres Aristophanis in Avibus: εἰώθασιν ἐν τοῖς σκήπτροις ἐπί τι ἄκρου ἐκλεπτοιῶν ὄρνιθας εἰς κόσμον: ἐν δὲ τοῖς τῶν βασιλέων σκήπτροις ἦν ἀετός. Quæ etiam in triumphantum Cæsarumque sceptris in antiquis monumentis apparet. De hoc ita Viterbiensis ibidem:

In manibus Regum dum regia sceptra tenentur,
Tunc quasi per virgam compescere cuncta videntur,
Pœnaq; præstatur, quæ ratione datur.
Vsibus innumeris & legibus undiq; fultus,
Instruit hic homines dignos prætendere cultus:
Regia virga tamen, quo moderentur, habet.
Plura solet homines per climata fingere iura.
Cæsar sceptra tenens novit distringere plura:
Imperat & virga iura valere sua. &c.

Alii Reges: idem.) Reges Galliæ sceptro suo lilium imposito habent, vel manum duobus cum pollice digitis erectis fidei signum exhibentem, quam ipsi *main de iustice* vocant. Quod sceptrum unam

cum cæteris regalibus ornamentis quum Carolo Imp. per Galliam eunti honoris ergo apud S Dionysium monstraretur, dicereturque eam manum ex unicorni sculptam, subjecit ipse. *Non potuisse ex aptiori materia manum iustitiæ effingi, quæ pura omnisque venenis expers esse debeat.* Quod annotavit Claud. Faulchet. in Annal. Gall. sub Anno D. CCC. XXXVII pag. 249. De Anglorum Rege Richardo Rogerius scribit, gestasse dextra *sceptrum regale, in cuius summitate habetur signum crucis. & in manu sinistra virgam auream, in cuius summitate species columba* si non fortè verius aquilæ. Græci Imperatores in sceptro Crucem ferebant dextra, sinistra μανδύλιον, cum nescio quo textili aureo involuto, Ἀκακία dicto, denotante, τὸν βασιλέα ταπεινὸν εἶναι ὡς θνητὸν, καὶ μὴ διὰ τὸ τῆς βασιλείας ὕψος ἐπαίρεσθαι καὶ μεγαλαυχεῖν. Illud verò μανδύλιον, τὸ ταύτης ἄστατον, καὶ τὸ μεταβαίνειν ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον. ita apud G Codinum legimus pag. 101. & videmus in picturis Nicephoro Gregoræ præfixis, atque etiam in nummis Byzantinis.

Pag. 104. *Pomum aureum.*) De quo supra ad pag. 96 In coronatione Guilhelmi Hollandiæ Comitis in Imp. Ludovicus Palatinus dixisse legitur: *Accipe globum sphæricum, ut omnes terræ nationes Romano Imperio subiicias, & Augustus gloriosus appellari valeas.* Tamen hoc signum Pomi crucigeri, quod olim Cæsarum proprium, hodie etiam cæteri Reges gerunt. Adeò ut etiam seditiosorum Anabaptistarum regulus in civitate Monasteriensi pomum cum sceptro usurparit.

Pertinet ad Palatinum.) Idque in actibus publicis & solemnibus ita servatum legitur, ut in Concilio Constantiensi, Sessione XIIII. *Præsente serenissimo Domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege cum insignibus regalibus, & nobilibus sibi in his servientibus videlicet Domino Ludovico Comite Palatino Rheni in pomo sive mundo, Henrico Duce Saxoniæ in ense, Friderico Burggravio Nurnbergense in sceptro, & Andrea filio Suevala Barone de Hungaria in corona ministrantibus &c.* Imperatori verò Græcorum præter sceptrum & spatham præferebatur etiam lampas propter illud verbum scilicet, οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ait Codin. pag. 101.

Sceptrifero dignitatis.) Fuisse de ea contentionem aliquando inter Brandeburgensem & Juliacensem, annotavit Rebdorffius Annali M. CCC. XLVIII.

M. CCC XLVIII. in coronatione Caroli IIII Imp. cum Marchio Juliacensis sceptrũ teneret regale, Ludovicum Marchionem Brandeburgensem eripere illi conatum de manu, dicentem ad officium suum hoc spectare: unde rumore inter illos suscitato, Regem intervenisse & per Principes fuisse definitum: *Quod quando Rex Romanorum coronatur, tunc ad officium Marchionis Brandeburgensis spectet. sceptrum regale tenere: Sin autem feuda regalia concedit, tunc ad officium alterius Marchionis hoc spectare.* Quod illius fide esse volo. Porrò denique observandum est, quod hi tres Principes Electores Politici (atque adeo horum vicarii) instrumenta illa suæ dignitatis, quæ Cæsari in actibus solemnibus præferunt; gentilitiis armorum suorum figuris addita pro insignibus publicè gerunt & ostendunt, Palatinus globum Saxo strictum ensem, Brandeburgicus sceptrum: de quo plura notavimus Origin. Palatin. cap. 15. Quomodo etiam in regno Gallorum *Les Connestables timbrent, leurs escus, et enrubissent de l'espee fleurdelysée leurs escussons et armoiries. Le grand Escuyer pare ses armoiries de l'espée au fourreau, et ceinture, semés de fleurs de lis. Les Mareschauls parent leurs escussons de haches, pource qu'on s'en sert à couper le bois, dont lon faict des feuillées pour faire les logis d'un camp. &c. Les Bonteilliers de Senlis ont retenu les armes escartelees d'or & de guentes, representans du vin en une coupe d'or:* ut annotavit Claud. Fauchetus in Originib.

CAPUT IX.

QUam sententiam auctor noster, utpote Canonista, hic profitetur: ei planè contrariam multi magni & cordati viri & superioribus sæculis & hoc nostro gravissimis scriptis publicè sunt prosecuti. Quorum nomina si enumerare hoc loco vellemus, non multo breviorem catalogum texeremus, quam est Homericus Græcarum navium. Argumentis autem huius capitis plerisque à Bebenpurgio, quo Lectorem remittere præstat, est responsum.

Gg 2

CAPUT X.

PAg. 108 *Ad quem Imperio vacante.*) Res olim expedita. Conrado Rege defuncto, in Concilio Principum Germaniæ quidam sic ait, apud Guntherum lib. 1. Ligurini:

Francorum proceres, quos inclyta robora regem,
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas:
In manibus vestris regnum est: ea quippe potestas
Ad vos more suo semper viduata recurrit.
Regibus est aliis potiundaiure paterno
Certa fides, sceptrumq́; patris novus accipit hæres.
Nos quibus est melior libertas, iure vetusto
Orba suo quoties vacat inclita principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus. &c.

Papa succedere. In quam rem Johannes XXII ab obitu Henrici VII. Imp. bullâ edita sibi cavit, quæ legitur intra Extravagantes illius, Titulo 5. *Ne sede vacante aliquid innovetur.* Cui in Germania nostra per leges vernaculas, & contrariam ab antiquo consuetudinem, locus esse nullus potest.

Vacante Imperio.) per mortem Imperatoris, aut absentiam trans alpes. Quo casu olim Imperator vices suas, cui volebat, mandare solebat: ut Brunoni Otho I. Imp. Fridericus Reinoldo Coloniensi.

In partibus Rheni.) cui vicinæ Francia & Suevia, Nicro fluvio disterminante. Scribimus enim hæc ipso loco, de quo Ausonius loquitur, Gratiani & Valentiniani Impp. victoriam contra Alemanos ibi partam prædicans,

—— *qua Francia mixta Suevis.*

Chreichgoia enim, Wirtenberga. Danubii Rheniq; fontes, Vindelicia, Sueviæ deputatur: Sylva Ottonica, Mœniaque tractus Franciæ Orientali: Nicer medius interlabitur. Sed & inferior Rheni tractus, totumq; Belgium ad fretalem Oceanum usque, quid nisi Francia vetus?

Comitatus sui privilegio.) Hoc est quod alibi scripsimus, nec pœnitet, vicariatum istum imperii, quem sub interregno vel Cæsare absente Palatinus gerit non aliunde quam vi & jure præfecturæ Palatii veteris sive Majoratus domus sub regno Francorum (quæ dignitas

mandatam

mandatum à Rege cognitionem habebat, vel eo cessante usurpabat) descendere: eaque ratione factum, quod præ aliis hi duo Palatini, Rhenensis & Saxonicus (qui & ipse Palatini titulo ab antiquo gaudet) totius Imperii vicariam administrationem divisis inter se limitibus meruerint. Cum enim Imperium Romanum, quale tunc erat, in duo regna esset divisum, Lombardicum & Teutonicum: in Italia quidem quos & quot vicarios Imperator habuerit, & quomodo sub interregno potestatem omnem Pontifices sibi usurpaverint, non est huius loci commemorare. Teutonicum autem cum duplici jure regeretur, Francico & Saxonico: quorum hoc gentem Saxonicam ad mare Balthicum & Sarmatiam; illud tractum Rheni, Franconiam & Sueviam, sub qua etiam Bavariam Austriamque, ad Alpes usq; complectabatur: conveniens visum est, ut duo illi Palatini, ceu proximi à Cæsare, eo absente vel mortuo, vice sacra regnum totum Teutoniæ (quod κατ' ἐξοχὴν *Imperium* vocari solet) gubernaret. Quod à majoribus procul dubio ita institutum Carolus IIII. Imp. in Comitiis Imperii apud Noribergam confirmavit, & Aureæ illi Bullæ nominatim inseruit: & alii etiam Cæsares tam ante quàm post illum, peculiaribus diplomatis, ut & alia regalia, Palatinis Principibus confirmare consueverunt. Et ne exempla quis requirat, Rudolphus II. Palatinus socer Caroli IIII Regis Rom. eiusdem per totam Germaniam vicarius fuit, ut diploma eius datum Wormatiæ Anno M. CCC. LII. fidem facit. Eundem vicariatum cum laude & Reipublicæ magno bono gessit Ludovicus Barbatus, qui & Pius dictus, cum Rupertus Cæsar pater illius exercitum in Italiam duceret, Anno Domini M CCCC I. tunc enim filio suo gubernationem in terris Teutoniæ cum certo modo proficiscens commendavit, ordinibusq; Imperii id denunciavit, eiq; interea parére & inter se pacem servare jussit. Ille absente patre, inter alia negocia ritè gesta, diversis Imperii Principibus, Comitibus, Civitatibus, & ingenuis, feuda Imperii concessit, fidem pro Rege ab eis accepit privilegiaq; eis confirmavit: de quibus extat in Archivis Palatinis volumen inscriptum: *Gestorum sub Rege Ruperto, & Ludovico vicario.* Tertium exemplum est in Ludovico Philippi F. Vicario dicto, quod ab obitu Maximiliani I. usque ad Caroli V. initium Imperium administraverit, qui etiam Camerale Judiciũ tunc temporis Wormatiæ existens ordinavit. Sed juvat ipsam Ru-

perti Regis constitutionem filii Ludovici in vicarium Imperii, illustrando huic loco totam inserere, quæ ita habet:

RUPERTUS DEI GRATIA ROMANORUM Rex semper Augustus, universis nostri & sacri Imperii fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, gratiam nostram & omne bonum. Regiam decet Majestatem illis præcipuè exquisitis intendere laboribus, illis etiã jugibus pervigilis mentis vacare considerationibus, per quæ & Sac. Romanorũ Imperium nostris præcipuè temporibus optata suscipiat incrementa, res ipsa publica debitis foveatur sufidiis, & divorum nostrorũ more prædecessorũ Regiæ Majestatis gladius cunctos vibrantibus terreat aciebus persecutores, & per legitimos tramites calumniantiũ iniquitates expellat, atq; refectis vepribus sub sacro militantes Imperio desiderata pace fruãtur. Sanè cũ disponente Altissimo pro corona Imperialis diadematis suscipienda ad præsens partes Italiæ simus ingressuri, & ut S. Rom. Imp. status, salubris tranquillitas & Respub. interim in Germania, Gallia & regno Arelatensi, in absentia nostri copiosius atq; fructuosius procuretur, de Illustris & Magnifici Principis LUDOVICI Comitis Palatini Rheni & Bavariæ Ducis, filii nostri charissimi legalitatis & gratæ circumspectionis industria præsumptionem & fiduciã utiq; habentes indubiã, præcipuè etiã advertentes à divis Romanis Imperatoribus & Regibus prædecessorib. nostris hactenus extitisse observatũ, ac etiã de jure Comitatus Palatinatus Rheni fuisse & esse, quod cum Romanus Imperator vel Rex ultra montes Italiã ingressus fuerit, in ipsius absentia vicariatũ Imperii in Germania, Gallia & Regno Arelatensi ad Comitem Palatinũ Rheni pertinuisse & pertinere, eundem dilectũ filium nostrum Ludovicũ, animo deliberato nõ per errorẽ aut improvidè, sed sano & maturo Electorum & aliorũ Principum Comitum & nobiliũ nostrorum & Imperii sacri fideliũ freti consilio & consensu de certa nostra scientia & Regiæ plenitudine potestate per S. Rom. Imper. in Germania Gallia & Regno Arelatensi provincias, principatus, dominia, districtus, civitates, oppida, castra, villas, &

corun-

eorundem pertinentias, qualitercunq; nominatis omnibus, jure via & modo quibus melius & efficacius possumus & debemus, facimus constituimus & ordinamus, nostrū & S. Rom. Imper. in Germania Gallia & Regno Arelatensi vicarium generalem. Dantes ex nunc & tenore præsentiū concedentes eidem plenam liberam & omnimodam auctoritatē, temporalem & generalem jurisdictionē, & gladii nutu & providentia Altissimi nobis contraditi potestatē, merū & mixtū imperium, ac etiā administrationem & jurisdictionē omnimodam, contentiosam & voluntariā, vice & auctoritate atq; nomine nostris in præfati S. Imper. provinciis, principatibus, dominiis, districtibus, civitatibus, oppidis, castris, villis & eorundem pertinentiis qualitercunq; etiam nominatis, per se vel per alium seu alios exercendi, animadvertendi, exequendi in facinorosos & delinquentes & reos homines, eosq; & rebelles quoscunque puniendi, relegandi, deportandi, ultimo supplicio addicendi & deputandi, & alias cohercendi ratione prævia & mediante justitia, prout criminis qualitas exegerit, & delicti ac culpa rebellium & excessus. Et ut etiā apud & per eum per se ac suū seu suos commissarios, & ad hoc per eum deputandos merū & mixtum Imperium, administratio & jurisdictio hujusmodi contentiosa sive voluntaria in loca & homines, cuiuscunq; status præeminentiæ vel conditionis existāt, infra terminos & limites supradictos consistentes vel consistentia (salva tamen semper sacrosancta Ecclesiastica libertate) liberè exerceantur, secundū quod jus seu ratio persuadēt. Concedentes nihilominus eidē & illi seu illis, quibus hoc commiserit, & in ipsum illū vel illos jure plenario transferentes auctoritatem, potestatē & licentiā generalem, ne suis quis militet stipendiis, collectas & datias, consueta onera realia & personalia & mixta, quocunq; nomine censeantur, nobis & nostro Imperio debitas seu debita, debendas seu debenda, nec nō omnes census reditus, jura, proventus, emolumenta, oblationes, conductus, telonea & pedagia principatuū & dominiorū, monasteriorū, civitatū, terrarū, territoriorū districtuū, oppidorum, castrorū, villarū & locorū ad nos ratione Imperij,

& ipsum sacrum Romanum Imperium in Germania, Gallia & Regno Arelatensi de jure consuetudine aut alias pertinentes & pertinentia, exigendi, levandi & recipiendi, & ad usus suos pro defensione saeri Imperii & pro ipso Imperio ac evidenti expensarum necessitate supportandi & applicandi: pœnas & mulctas ratione præviâ imponendi levandi, & ex causis rationabilibus augmentandi, minuendi, remittendi in judicio & extra: Judæos Cameræ nostræ servos acceptandi & defendendi: bona damnatorum, rebellium & reorum justitia exigente confiscandi & publicandi: officiales quoscunque & præsertim nostri Imperialis judicii (sine eorum juris præjudicio, ipsis in suis officiis competentis, & usque ad præsens in eisdem habiti & quæsiti) instituendi & destituendi: necnō de omnibus criminibus ordinariis & extraordinariis, enormibus, levibus, publicis & privatis cognoscendi, puniendi, & executionem faciendi tam secundum jura municipalia quàm communia seu legis cognitionem: & decisionem huiusmodi committendi, in integrum restituendi, bannum imperiale pronuntiandi, absolutionem concedendi: infamia tam juris quàm facti notatos publicandi, eamq; juris infamiam tollendi & super eam dispensandi: de causis principalibus & appellationum ad nos & sacrum Imperium interpositarum seu interponendarum, quibuslibet tanquam noster & Imperii sacri Vicarius generalis cognoscendi, examinandi, & definiendi, & alia quæ causarū merita requirunt, exercendi & exequendi: ferias & nundinas instituendi, imponendi, collocandi & concedendi: rebelles Sacri Romani Imperii persequendi & puniendi, privandi & exuendi feudis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, indultis, juribus quibuscunque temporalibus: infames & inhabiles reddendi, prountiandi, declarandi: atque destitutos privatos vel exutos per se vel alium seu alios, etiam per judicium dictum Stillgericht/ aut alia quæcunque judicia damnatos & extra jus (ut moris est) sententialiter constitutos & depositos ad honores, status, officia, jura pristina in integrum liberè restituendi: Decreta, statuta ac provisiones in prædictis omnibus &

bus & quolibet faciendi de novo, corrigendi, & in totum tollendi, semel, pluries, & totiens quotiens opportunum fuerit & ordo dictaverit rationis. Omnia & singula feuda sacri Imperii vacantia vel cum vacaverint, committendi & conferendi, ac de aliis infeudandi & investigandi (exceptis duntaxat feudis insigniis Archiepiscoporum Ducum & Marchionum, & quæcum vexillis seu gladiis recipi consueverunt, & de quibus officialibus Imperialis curia de more servitur) & ab illis sic recipientibus feuda, dum & quoties se casus obtulerit, homagii, fidelitatis, obedientiæ & devotionis debita juramenta nostro & sacri Imperii nomine & vice postulandi & recipiendi: ad Canonicatus & præbendas ac dignitates, etiamsi curatæ ac electivæ & majores post Pontificales in Metropolitanis & Cathedralibus ac principales in Collegiis existant, personatus, Ecclesias parochiales & beneficia & officia Ecclesiastica seu temporalia, dum & quoties vacaverint, personas aptas & idoneas præsentandi, & eas ad ea conferendi: Dotes, dotalicia, sponsaliorum largitates ac donationes propter nuptias admittendi & confirmandi: mente captis, furiosis, & aliis personis quæ sui juris non existunt, curatores, orphanis pupillis & viduis tutores & defensores præficiendi, ac tutores & defensores minus legitimè datos confirmandi, devolutiones fiscales quorumcunque dominiorum, prædiorum & agrorum aut hæreditatum, seu etiam rerum mobilium, dummodo jus & ratio illud exegerit, nostri & Imperij nomine exigendi, tenutam & possessionem talium accipiendi. Dantes etiam & Regia concedentes auctoritate & de certa scientia, nostro ac sacri Imperii Romani Vicario generali supradicto potestatem plenissimam, Notarios publicos & tabelliones cum auctoritate & potestate plenarijs creandi, faciendi, & de tabellionatus officio instituendi seu investiendo (ut moris est) per pennam & calamarium: recepto ab ipsis prius & eorum quolibet pro nobis ac sacro Imperio debita fidelitatis solito juramento: hoc ipsum etiam eadem auctoritate aliis concedendi & committedi, eosque eorum exigentibus demeritis privandi & destituendi: ac etiam natu-

rales, manseres, spurios, bastardos, & quolibet de damnato sive illicito coitu procreatos, viventibus seu mortuis eorum parentibus rite legitimandi: etiamsi forent filii Illustrium Principum, Ducum, Comitum & Baronum, & eos natalibus & omnibus legitimis juribus restituendi, omnemq; geniturae maculam & natalium defectum abolendi: ad omnia & singula jura successionum etiam ab intestato cognatorum & agnatorum, honores, dignitates, officia, & ad singulos actus legitimos admittendi & admitti mandandi (sine tamen legitimorum haeredum praejudicio) ac si essent de legitimo matrimonio procreati. Et generaliter omnia & singula libere faciendi & exercendi, quae ad verum sacri Imperii Vicarium generalem pertinent: etiamsi quae ex eis jure & consuetudine specialius exegerint mandatum, etiamsi majora fuerint supra & infra expressis, & quae ad nos & sacrum Imperium faciendi & agendi pertinere dinoscuntur de jure, consuetudine, seu plenitudine Regiae potestatis: non obstantibus quibuscunque literis datis vel dandis, legibus, constitutionibus, consuetudinibus, statutis & juribus municipalibus & localibus, generalibus & specialibus contrariis, quacunque firmitate roboratis. Quibus omnibus & singulis, in quantum praesentibus obviare seu eis derogare possunt, ac si talia specificè in suis capitulis & punctis de verbo ad verbum hic forent inserta & nominatim expressa, de nostra certa scientia & de plenitudine Regiae potestatis specialiter derogamus, ac viribus carere decernimus & declaramus. Mandantes nihilominus firmiter & districtè praecipientes universis & singulis Ecclesiasticis & secularibus Principibus, etiamsi Pontificali praefulgeant dignitate, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ministerialibus, militibus, Clientibus, Vasallis, Civitatibus, Oppidis, & eorum universitatibus, locorum rectoribus & eorum communitatibus, castris, villis, subditis, terrigenis, incolis, habitatoribus, castellanis, custodibus, officialibus, & hominibus quibuscunque, cuiuscunque etiam praeminentiae, dignitatis, status, gradus seu conditionis existant, praesentibus & futuris, quatenus

tenus prædictum Ducem Ludovicum filium nostrum carissimum, nostrum & Imperii Vicarium generalem taliter, ut prædicitur, à nobis constitutum, & personam nostram figurantem: benignè & absque difficultate qualibet recipiant, & sibi ac officialibus suis, quos constituet loco sui, omnibus & singulis nostro & Imperii nomine fideliter & effectualiter tanquam nobis in omnibus obediant, pareant & intendant realiter & cum effectu, ut exinde eorum sincera devotio per operum efficaciam elucescat. Sub pœnis per præfatum nostrum & Imperii Vicarium constituendis, infligendis, nec non sub pœnis nostræ indignationis gravissimæ, & mille marcharum auri purissimi: quas ab ipsis, qui secus attentare præsumserint ausu temerario, totiens quotiens contra factum fuerit, irrevocabiliter per ipsum seu substituendos ab eodem exigi volumus, suisq; usibus prout sibi videbitur applicari. Harum sub nostræ Regiæ Majestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Augspurg tertia feria post Festum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, Anno Domini M. CCCC. I. Regni verò nostri anno secundo.

Ad mandatum Domini Regis
Johannes Weinheim.

Feudis quæ Vahnleben.) Quorum investura per insigne vexilli conferri solet. Antiquitus Regna per gladium, provinciæ per vexillum tradebantur, auctore Othone Frising. lib. 2. cap. 5 uti etiã vexillis resignabantur, apud eundem lib. 2. cap. 32. Fahnenlehen/ etiam legimus in Saxonico Lehenrecht/ cap. 21. Nimirum feuda Ducatuum & Principatuum in publicis comitiis vel curis cum vexillis ab Imperatore accipi, subinde in Germanicis nostris historiis legimus.

Vbi iura Saxonica) Neque enim lex Romana vel etiam Lombarda per omnes æquè Germaniæ partes usum obtinuit: sed gens Saxona ab omni antiquitate propriam sibi legem habuit quam nec Karolus Magnus, qui postremam illam subjugavit, eis prorsus ademit, Æ-

neas Sylvius in Europa c. 31. de Magdeburgo loquens: *Magistratus urbis ius civile abbreviatum, & Saxonica lingua conscriptum, non sine reverentia custodit, quod Magni Caroli auctoritate firmatum tradunt. Eoque in decisione negotiorum circum vicinæ gentes recurrunt magna & venerabilis eorum lege auctoritas habetur.* Adeoq; quidam Germaniæ populi, qui hodie Regem Poloniæ agnoscunt, eo jure utuntur, & ex eo jure sententias à Judicibus Polonis accipiunt, ut Martinus Cromerus in Polonia testatur.

Illud insigne privilegium.) A Palatina Comitina veteri hoc etiam singulare & super omnia eximium privilegium descendere videtur, quod ut in Aula regia & prætorio Francorum amplissima in omnes jurisdictione, nullo penitus exempto, Præfectus Palatii judicabat, ita ipse Princeps, si ab aliquo conveniri se pateretur (neque enim bonus Princeps se supra leges omnesque justitiam extulerit) coram hoc solo se sistere dignaretur. Quod ipsum summi honoris argumentum in hoc Germanico Imperio penes Palatinum Rheni (sed solum, excluso Saxonico) remansit, confirmatum à Carolo IIII. in Bulla Aurea, cap 5 & allegatum à Restauro Castaldo in tract. de Imperatore quæst. 91. aitque ibi Carolus, *Consuetudine introductum*, id est, usu antiquo. Et sanè antiquius exemplum huius rei legitur, annotatum memorabiliter à Henrico Sterone Monacho Altahense, in Anno M. CCC. ubi ita scribit: *Eodem anno circa festum beati Michaelis Dux Rudolphus & Comes Palatinus Rheni præfatus ab Electoribus Imperii Moguntinensi, Coloniensi, & Treverensi Archiepiscopis vocatus fuit ad Rhenum, contra præfatum Regem Albertum. Vnde iidem Principes contra ipsum Albertum conspiraverunt, eligentes ipsum Rudolphum pro iudice: & asserentes ad Comitem Palatinum pertinere, quod sit officium Palatinæ dignitatis ex quadam consuetudine, de causis cognoscere quæ ipsi Regi moverentur. Quare contra Regem proposuerunt, quod Dominum suum proprium, scilicet Regem Adolfum occidisset: ideo Rex esse non posset: Et ad depositionem ipsius cogitabant. Quod audiens Rex Albertus iratus & commotus fortiter fuit: & maximè contra præfatum Ducem Rudolfum, cuius avunculus extitit, quia sororis suæ filius erat: iurans quod omnia quæ ab imperio obtineret, alienaret ab eo, videlicet Suevicum* Werd/ *Novum Forum, & cætera quod & fecit post hæc vadens contra præfatos Electores. Archiepiscopus Moguntinus manu potenti obsedit Pinguiam. & sic deinde electores concordati sunt tandem cum eodem Alberto.* Quinimò quam vetus & notorium institutum hoc fuerit, argumento esse potest locus in Jure illo Saxonico, *VVeichbild.*

lib. 1.

lib. 1. Artic 8. & 9. nisi quod compilator illius largiter eo loco ineptit, dum scribit, ob causas ibi expressas Imperatorem judicari, & non gladio sed aurea securi percuti, super marginem alicuius clypei idq; manu Palatini Rheni. Quo uno quid ineptius scribat ineptissimus?

Non alibi quam in curia.) Antea enim, quàm hoc illa constitutione declararetur, cognitio talis ad Rheni fluminis ripam fieri solebat, ut ex modo allato Altahensis loco observare licet. Quo potissimum loco antiquitus negocia Imperii publica, præsertim circa Regis electionem vel depositionem, ab Electoribus expediri consuevisse, supra ad pag. 80. pluribus docuimus.

CAPUT XI.

PAg. 109. *De nobilitate.*) nomine Germanæ genti inprimis amico.

A quo ut ex fonte.) Imò Baldus Oceano Principem comparat, à quo omnes liberalitates dignitates, jurisdictiones feuda, nobilitates, privilegia, fluunt ac refluunt ac veluti rivi à fonte in alios derivantur; per L. 1. D. ad l. Jul. de ambitu L. sacrilegium. C. de diversi. rescript L. 1 C. de constit. Princ. L. 1. §. cum urbem. D. de offic. præf. urbi.

Ex sola virtute.) Juvenalis:

— *Nobilitas sola est atque unica Virtus.*

Pag. 110. *Ut sim posteris meis.*) Plinius Panegyrico: *Non debet deterior conditio esse eorum, qui posteros habere nobiles meruerunt, quàm qui parentes habuerunt.* Solon apud Ausonium:

Pulchrius multo parari, quàm creari nobilem.

Nobilitate Politica.) De nobilitatis generibus, & quæ vera sit nobilitas, extant copiosissimi tractatus Platinæ, Poggii Florentini, Hieronymi Osorii, Andreæ Tiraquelli.

Pag. 111. *Nostrates contradicentes.*) In quos gravissimè invehitur Cornel. Agrippa in lib. De vanitate scientiar. cap. 80. & Erasmus in Dialogis, ἱππεὺς ἄνιππος, & Ἄγαμος γάμος.

A rurali tugurio.) Socrates Alcibiaden opibus & prædiis suis nimis superbientem, ad suspensam tabulam Geographicam cum duxisset, ab ipso ut Atticam in ea quæreret; petiit. Quam cum reperisset, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam

reperiri diceret, subjunxit Socrates: *Cur igitur ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt*, Ælian lib 3. variar.

Aucupio & venatui.) Quem *servile officium* dixit Salluſtius in Catilinaria: reprehensus tamen eo nomine à Symmacho, epist 66 lib. 5. Eam commendat Plinius secund lib. 5. epist. ad Apollin. improbat Johannes Salisberiens. lib. 1. cap. 4. Pet. Blesens. epist 56.

Dedecori habendum sit.) Falsam & perniciosam illam persuasionem nobilium gravissimè taxat & refellit Gulicl. Budæus lib. 1. de asse, pag. 3. & seq. *Hujus mali caussa est*, inquit, *nobilium institutum, qui res consentaneas & mutua ope mixtas, generis claritatem literarumque peritiam, collidi inter se & dissidere putant: quo eri ore factum est, ut disciplinæ olim ingenuæ appellatæ ad plebem iam diu transierint, non tantum a nobilibus, sed etiam (o mores perditos) a sacriculis repudiatæ, ne non satis generosus esse & lautus antistitum ordo præsulumq; putaretur &c.*

Turpem notam.) & nobilitatem amitterent: quam tamen nihil est quod magis ornet & extollat, juris præsertim peritia. Spartianus in Did Juliano: *Proavus ei fuit Salvius Iulianus, bis Consul, præfectus Urbi, & Iurisconsultus, quod magis eum nobilem fecit.* Itaque principes civitatis fuisse Jurisperitos M Tullius scribit, & per Jurisperitiam Principem in civitate locum adquiri Tacitus in fine 3. Annal & Aminium Rebium ex primoribus peritia legum fuisse lib. 12. Quæ loca Cujacius notavit ad L. 2. in princ. D. de orig. jur. At in Gallia, qui per Jurisprudentiam dignitatem Senatoris & Consiliarii Regii adipiscuntur, eo ipso nobiles fieri, & posteris suis nobilitatem parare, arrestis Parlamentorum sancitum legimus.

Doctor dicitur nobilis.) Glossa est singularis in L 5 D. pro socio Et Clem. 1 in verbo Necessitas de Baptismo. Ideoq; in quibusdam Cathedralibus Ecclesiis æquo Jure Canonicatus admittuntur Nobiles & Doctores.

Comitis privilegio.) De quo alicubi M. Mantua Bonavitus, loco qui jam non occurrit. Et ipsum tertiùm comitinam Patavina professione juris emeruisse (rarum exemplum) legimus.

Pag. 112. *stratis publicis insidiari.*) Malum olim in Germanica gente frequens. Æneas Sylvius in Germania, cap. 61. *Et quamvis omne*

veterum

veterum non nulla rapinarum vestigia maneant (nam hoc unum est ex prisca barbarie vitium apud vos relictum) non tamen ea prædarum libertas est quæ olim fuit: nec civitates vestræ prædonibus, si quando in potestatem earum veniunt, veniam præbent, sed eos acerbissimo rotarum supplicio enecant. Imò jam tum Regino sub Anno D. CCCC. XX: *Henricus Rex eligitur, qui initium sui regni disciplinæ servandæ pacis inchoavit. Multi enim illis temporibus, etiam nobiles, latrociniys insudabant.* Hanc prædonum rabiem severissimè inhibuit & extinxit laudatissimus ille Princeps Fridericus Palatinus primus, cuius hæc laus inter alia tumulo eius inscripta legitur: FULMEN PRÆDONUM. Wimphelingius in Epitome rer. German. cap. 55 *Raptores & prædones imprimis exterminavit, eorumque arces solo æquavit, terrarum itinera viatoribus tutissima fecit.* Eadem pestis postea Suevico fœderi caussam dedit.

Equestris ordo.) Medius inter Senatum & Plebem habetur, unde Minor. Martiali dictus illo verso: *Quum plebs, & minor ordo, maximusque,* quod notavit Cujacius lib. 10. observat. 26. Postea quoque secundam post clarissimarum dignitatem Equestris ordo obtinuit. Titul. de Equestri dignitat. lib. 12. Sed de Equestri ordine nos quoque plura alibi congessimus. Illud heic miror, quod nihil de equestribus ludis auctor noster dixerit, exercitiis nobilitatis propriis decursionibus inquam, hastiludiis, torneamentis: quæ veluti veteres ludi Olympici progymnasmata instituta erant ad virtutem militarem, & in his leges censoriæ ex instituto (ut fertur) Henrici Aucupis Imp. strictissimè servabantur. Pflug. in orat, de Republic. German pag. 34.

Pag. 113. *Nobilitas creata.*) sive *parata,* Ausonio supra.

Imp. & Reges.) Apud Gallos novæ nobilitatis codicilli non valent, nisi à magistris ratiociniorum Parisiens. comprobentur, ut scribit Choppin. de doman. Franc. cap. 63. num. 3. Ideoque hanc nobilitatem ambire cumprimis pecuniosos & non mediocrem inde segetem metere posse Principem ait P. Gregor. lib. 3. de Repub. cap. 6. num. 8.

Privilegio & literis.) Etiam antiquitus beneficio Principum per rescriptum, codicillos, diploma, nobilitas tribui solebat: cuius rei exempla extant in L. 1. C. Th. de decur. urb. Romæ. Symmacho epist.

18. lib. 10. Cassiodoro 8. variar. cap. 19. Unde gravissima illa Gregorii Nazianzeni ad nobiles admonitio, Oratione 12. qua genus suum jactantes indole quoque & moribus se præstare suadet: cum ipsa nobilitas, si sola tanti sit æstimanda, etiam ignobilibus Principis libello possit conferri: Τότε γὰρ ἀληθῶς, inquit, εὐγενέστατον ἦν ἄν τι τὸ ὑμέτερον, εἰ μὴ καὶ δέλτοι τοὺς δυσγενεῖς ὑμῖν ἔγραφον.

Nulla virtutis ratione.) Imò tunc quidem non nisi merito virtutis & studiorum Id quod nunc quoque in eius generis diplomatis ut ex illis locis Symmachi & Cassiodori apparet prætexitur, plærunque de stylo magis quàm re ipsa.

Imperator & Principes creat.) Ut Ducem Sabaudiæ è Comite, Duces Ferrariæ & Mantuæ è Marchionibus: Duces Juliacenses & Wirtebergenses è Comitibus: Principes Massæ, de Chimay, alios.

Princeps etiam.) Præsertim Palatinus: cuius hæc eximia facultas non solum nobiles sed etiam Comites creandi, ab antiquo præscripta & diversis actibus comprobata extra controversiam est. Unde potestas illa dandi insignia plebeios nobilitandi, Spurios legitimandi, etiam in titulares & imaginarios illos Palatinos Comites derivata originem habere videtur. De quibus M. Mantua Bonavit. Polymathiæ lib. 4. cap 7.

Et civitas.) Hi sunt Patricii clariorum urbium, nobilibus equestris ordinis ob honestatem familiarum & cultum vitæ proximi. Tullius *Domi nobiles* vocavit, qui in suo solo & patria tales.

Mercatores tamen.) Ideoque in Urbibus illis benè constitutis diversa patriciorum & mercatorum collegia esse solent. Mercaturam nobilitati derogare, nisi sit magna illa & luculenta, vel nisi consuetudo loci suffragetur, explicat Mynsinger. centur. 6. obser. 54. & latè Tiraquell. de Nobilit. cap. 33.

Caput XII.

Pag. 114. *De septem nobilitatis gradibus,* Speculum Saxonicum lib. 1. Artic. 3. *Origines septem seculi debere esse ætates, & quod in septima deberet finiri, enarravit. Sic etiam clypeus seu cingulus militaris in septimo terminatur. Et primam habet Rex Romanorum: secundum Episcopi, Abbates & Abbatisse, qui & superillustres dicuntur: tertium laici Principes, ex quo facti sunt Episcoporum*

scoporum subditi & vasalli, qui Illustres nuncupantur: quartum nobiles & liberi Domini: quintum prædictorum nobilium vasalli, & etiam banniti: ipsorumq; ulterius vasalli tenent sextum. Sicut autem in septima seculi ætate, quo ad finem, est Ecclesia incerta: sic nec scitur an cingulus militaris in septimo existit. Et Lehenrecht cap. 1. *Beneficialis clypeus a Rege descendit, & in septimo deficit. A secundo in tertium clypeum descenderunt Laicales Principes, cum Episcoporum fiebant homines, & sextum clypeum transtulerunt in septimum.* Secundum hæc gradus clypeorum sive dignitatum sæcularũ videntur fuisse hi: Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites Valvasini. Inter Reges & Principes postea medius intercessit Episcoporum & Prælatorum: qui quando facti sint Helmoldus lib. 1 cap. 4. & Nicol. Cusanus lib. 3. De concordant. Cathol cap 27. Sed hæc alibi fusius.

De regno per Imperatorem.) Quo hodiè? vide notata supra ad pag. 101. Porrò Regni præ aliis principalibus propria nota hæc esse videtur, si peculiare idioma sive linguam habeat: id enim in omnibus hodie majorum gentium regnis ita esse observare licet.

De ducatu.) Olim Karolinis temporibus Dux sub se duodecim Comitatus habebat, vide P. Pithæum lib. 1 Adversar cap. 8.

Hertzog) *Herizoh* scripsit Otfridus Wisseburgensis, atque ita vocat Pilatum præsidem, pag 427. & 457.

Pag. 115. *Marchia.)* Marcha nihil est aliud idiomate verè Teutonico, quam limes, unde marck/gemarckung/marckstein/ marckscheider. Inde Marchio, Marckgraff/ Dux limitaneus. Olim *Marchenses* dicti, ut in Annalibus Fuldensibus notavimus: ex quo Itali *Marchese*, Galli *Marquis* suum fecerunt. τῶν λατίνως μαρχέσιος, ait Niceph. Gregoras fol. 108. Neque aliud est *Marquardus*, quam limitis custos, ut *Burgwardus, Banwardus*, burgi bannive custos, apud Ditmarum.

Comes) Germanicè Grave/ quod judicem & magistratum sonat Paulus Diacon. lib. 5. Longobard cap. 36 *Hic dum esset in Tridentina civitate cum comite Boariorum, quem illi Gravionem dicunt.* Inde *Zentgrave*, Judex centenæ. *Dychgrave*, Judex aggerum, *Gograve*, Judex agrarius.

A comitando.) Ita de veteribus Germanis Tacitus: *Centeni singulis principibus ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt.* Et postea: *Gradus quin etiam & ipse comitatus habet, judicio eius quem sectantur: magnaq; & comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus: & principum,*

cui plurimi & acerrimi comites. Et postea: *Principes pro victore. Comites pro Principe pugnant.* Neq; aliunde primam Comitum originem manasse, observavit Zasius, & eleganter deducit Christophorus Colerus amicus noster Parerg cap. 27.

Pag. 116. *officio distincti.)* Quorum omnium ferè officia ordine pandit Cassiodorus lib. 6. formul. & passim De Comitum generibus diffuse agit Lazius lic. 2. Reipubl Rom. cap. 11.

Comes Palatinus.) De qua dignitate multa consignavimus in originibus Palatin. cap 1 & 2 & ante nos P. Pithæus in libello nuper demum nobis viso, *Memoires des Comtes hereditaries de Champagne & Brie.*

Baro à libore.) Tam quàm Labarum à labore dictum quidam voluere. Sed de Baronis voce plura eruditè observavit P. Pithæus lib. 1. Subseciuar cap 8 Ego omnino existimo, à veteri Teutonico Barn descendere, quod virum, marem, filium, heroem significat; & in veteribus illis cantilenis (Heldenburg) passim ea notione legitur In annotatione Arnonis Episcopi Saltzburgens. tempore Caroli M. Regis: *Decrevit censum dare unusquisq; homo qui in Hal habitaret, quod barbarum è dicitur Ad alparo.* Quid quod & in veteri Lexico *Baro* Ἀνὴρ vertitur, Sed & de his alibi.

Pag. 117 *Semper Barones.)* Auctoris hæc sint fide.

Haud satu honesta.) Nam cũ Spontanea copula animantia cuncta consociet, dignumq; unicuiq; videatur esse quod placuit, durum est libertatem eius rei liberam non habere, unde liberi procreantur, ut eleganter ait Cassiodrus lib. 7 cap. 40. in formula, *De matrimonio confirmando & liberis legitimè constituendis,* Sed & jus istud, quod hic Andlous annotavit, nostris moribus jam incognitum est.

Sive ministeriarii.) Ministeriales vult dicere. Hos ego tamen diversum quid à vasallis esse semper putavi, re & nomine, prout in antiquis instrumentis separari solent: *Cometiam de N. cum castris & munitionibus, fidelibus, vasallis, ministerialibus, hominibus, & omnibus attinentiis.* Et in diplomatis Episcoporum & Abbatum, post clericos subscriptus legitur Advocatus post hunc ministeriales, deinde fideles: quod ita etiam legitur in valvis Ecclesiarum Moguntinensis & Wormatiensis Spirensisq;. Et in Teutonico fideles Mann & Lehenleute/ ministeriales Dienstleute vertuntur. Horum etiam mentio est in 5 si ministeriales

nisteriales. Tit De pace tuenda, & Lombard lib. 2. Tit 52.

Quos & clientulos.) & Armigeros, Germanicè olim Wäpeling & Edel knechte.

Murice.) quæ Purpura est, ἁλουργὸν Græcis, de quo Hadrian. Junius lib. 2. Animadverſ. cap. 2. Ex qua etiam conficiebatur rubrica, qua ſoli Principi uti fas erat, *Encauſtum* dicebatur. L.6.C. de diverſ. reſcript. Nicetas σαφλώτην σαπικὴν vocat, & ἐρυθρόγραφον. Quamvis aliquando & auratis literis ſcriberet, ut apud Zonaram To. 3. fol. 140. δι' ἐγγράφου χρυσοσημάντου. Privati enim alaba ſcribebant ſive atramento. Heſychius: ἄλαφα, μέλαν ᾧ γράφομεν.

CAPUT XIII.

PAg. 119 *Militarem diſciplinam.*) Multa in hanc rem Johannes Saliſberienſis lib. 6. Policratici cap 14. & ſeq.

Miles à militia.) Hunc Ulpiani locum eleganter exponit Scipio Gentilis amicus noſter in originib. verbo, Miles, Exercitus.

Pag 120. *Examinabantur an.*) Hic eſt ille delectus militum tantopere neceſſarius de quo Polycraticus ibid. cap. 2. & ſeqq. & egregiè cordatus homo Juſtus Lipſius lib. 5. Politic. cap. 8

Iuramentum.) Sacramentum militare, de quo ibidem Policrat. cap. 27.

Stigm.) Fallitur hic auctor. Pro quo ſupponamus certam olim in tyrone legendo proceritatem & corporis juſtam menſuram requiri ſolitam, quod notavit Cujacius lib. 21. obſervat. 5.

Milites noſtri.) Eos vult dicere, qui equeſtri dignitate à Principe ſunt inſigniti, quos Equites auratos vocamus. De quibus extat peculiaris tractatus Petri Caleſati. IC excuſus Mediolani 1581.

At plurimi.) In quos acerrimè invehitur M. Cornelius Agrippa, De vanitate ſcient. cap. 80. & ſeq.

A Principe in Camera forte.) Vel obiter inter ſolemnia coronatio- regiæ. Singulare exemplum equitis à Siſmundo Imp. Pariſis in medio Parlamenti conſeſſu ex tempore creati, refert Gulhelmus Paradinus lib. 2 Hiſtor. Lugdunenſ. cap. 92.

Pag 121. *Enſes conſecrandos.*) De hoc quoque ritu Polycraticus ibid. cap. 10. Et Petrus Bleſenſis epiſt. 49. meminit Equites creatos

gladium ab altari accipere solitos, ad significandum se esse Ecclesiæ filios, & ad illam defendendam paratos. Quod etiam Hispani equites adhuc factitare dicuntur.

Nullus infamis.) Latè probavimus lib. De infamia, cap 25 nu. 12.

In taberna meritoria.) Imò plerunque in agris assignatis milites bene meriti ætatem exigebant.

Pag 122 *Exauctorabat.*) Polycratic. cap. 13: *Quare cingulo priventur milites, & quod exauctoratus non habeat aliquod cum gladio telove commercium.*

Multis privilegiis.) Juvenalis Satyra ultima:

Quis numerare queat felicis præmia Galle Militiæ?

Militia cœlestis.) De qua Polycrat. ibidem cap 8.

Et litterata.) sive togata De utraque militia, togata & armata, extat Tractatus Henrici Breulæi.

Pag 123 *Vtrum Doctor militi.*) Extant peculiares tractatus. *De præcedentia militis & Doctoris*, Christophori Lanfranchini, Signoroli de Homodeis, Augustini Suessani. Vide singularia Pauli Fusci verbo. *Arma.* Mihi placet judicium Valentiniani Imp. apud quem erant ἐν ἴσῃ προεδρίᾳ τοῖς στρατηγοῦσι οἱ φιλοσοφοῦντες, ut ex Themistio infra annotabimus ad pag. 130. Neque hoc loco omittendum est notabile apophthegma Sigismundi Imp à quo Georgius quidam Fiscellus legum Doctor, equestris militiæ insignia cum suscepisset, in Synodo Basiliensi consultante de rebus arduis Sigismundo, dubitante illo utrum Doctoribus congregatis in uno loco, aut Equitibus in alio se adjungeret, cum tandem ad hos inclinare videretur: *stultè agis*, inquit Cæsar, *qui literis militiam præferas. Nam ego milites una die mille fecerim, Doctorem mille annis unum non fecerim*, quod Æneas Sylvius annotavit Quanti verò idem Cæsar litteras faceret, Wimphelingus testis est in Epit. German cap. 48

Milites Imperii.) Quod etiam vult Fr. Zoannetus in tract. illo ad Rubric. De militari testam. cap. 1. & 2.

CAPUT XIIII.

PAg. 124. *Aquila Imperii signum.*) Multa de hac Plinius lib. x. cap. 4. Pierius in Hieroglyphicis. Hadr. jun. 3. Animadvers. c. 2. Achmetes in

tes in Onirocriticis. καθ' ὅλου ὁ ἀετὸς εἰς βασιλέα κρίνεται. Hinc κατ' ἐξοχὴν *Romanæ aquilæ, victrices aquilæ*, ferè in proverbio. Sibylla Erythrea legiones Romanas vocat ἀετοφόρους, *aquiligeras*. Et in prophetia Esdræ sub Aquilæ typo regnum Romanum planissimè depingitur. Tacitus II. Annal. Interea pulcherrimum augurium octo aquilæ petere sylvas visæ, exclamat, *Irent, sequerentur Romanas aves, propria legionū numina*.

Lucanus lib 1.

Vt notæ fulsere aquilæ, Romanaq; signa.

Ligurinus lib. 7

At qua Cæsareæ signum Latiale cohortis
Regia fulget avis.

Aquila coronata.) eaq; biceps, orientis, & occidentis imperium designans. Quali signo Constantinopolitani etiam Imperatores utebantur, ut in eorum figuris Nicephoro Gregoræ præfixis videre est: significantes imperium suum in Europam & Asiam, orientem & occidentem respicere. Quamvis idem signum in antiquioribus etiam Romanis operibus, absque tali mysterio, cernere licet ut è columna Antonini notavit Lipsius in Analectis ad Militiæ, pag. 111. hariolatus legionem Gemellam denotari per duas aquilas in unam sic mixtas: & in statua ignoti Imperatoris apud Coloniam Agrippinam talis in thorace conspicitur: & (si rectè memini) etiam id genus aliis.

Pilam insigne.) Verba sunt Isidori lib. 17. De quo signo Pilæ vel Tufæ (nam & ita vocabatur) plura Lipsius lib. 4. Milit. Roma. Dialogo 5. ubi de toto hoc genere signorum, deq; formis eorum, cultu & religione.

Armorum usus.) De origine & usu insignium plura passim notarunt eruditi, Lips. in Analectis d. loco. Gabr. Palæotus de Imaginib. lib. 2. cap. 47. B. Rhenanus, Wolff. Lazius in Repub. Rom. Pancirolius in Notic. Imper. alii. Extat & R. Reineccii liber peculiaris De nobilitate & insignibus apud Gallos *Le Blason des Armoiries*, & Claudii Faulcheti libellus *De la milice & armes*. Præter quos nos quoque multa ea de re alibi congessimus.

Ex concessione Principis.) Nam & hoc pro beneficio à Principibus usurpari cœpit, ut nobilitatis gradum, ita eiusdem insignia distribuere. Ab his ad Heraldos etiam & Comites Palatii titulares translatum penè evluit. Quinimò pro gratia quadam peculiari & raro fa-

vore agnoscendum fuit, si Princeps partem suorum insignium alicui concederet. Ut Bela Rex Ungariæ Philippo & Bartholomæo Scalichiis ornaturam suæ coronæ; Rupertus Palatinus senior Comitibus de Nassaw Leonem inter duo cornua, & Ludovicus Bavarus Imp. fratribus De Prato, diplomate quod appendemus.

LUDOVICUS DEI GRATIA ROMANORUM Imperator semper Augustus, universis Sacri Romani Imperij fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, salutem suam & omne bonum. Decet benevolentiam Augustalem illis impendere officia pietatis, qui fidelitatis & sinceritatis laboribus obsequijsque iteratis nostræ excellentiæ obediunt, nostraque vestigia incessanter respiciunt & sequuntur, ut alij nostri & Imperij fideles eorum gratioso suffulti exemplo ad obsequendum promptiores reddantur. Proinde cum nobiles viri, venerabilis Jacobus princeps & legatus noster, & Fenzius miles, fratres, nati quondam nobilis viri Alberti de Prato, Lunicianæ & sacri Lateranensis Palatij Comites, fideles nostri dilecti nostris voluntatibus se multipliciter conformarint, ipsos universosque eorum posteros & hæredes dono gratiæ infra scriptæ duximus honorare. Videlicet quod ipsi in aciebus bellorum, torneamentorũ, & ubiq; locorum, quando & quotiescunq; voluerint, aut aliâs fuerit oportunum, tam in banderijs, clypeis, quàm vestibus cæterisq; ornatibus, super caput armorum Leonem crocci coloris, quam ipsi (ut asserunt) deferunt & prius detulerunt ex cessione paterna, coronam de armis nostri Ducatus Bavariæ, prout est inserta præsentibus & depicta, valeant ducere & portare liberè & quietè de nostra plenitudine potestatis, contradictione cujuslibet nõ obstante: sic quod nullus dicta eorum arma ipsis per nos tradita & donata quovis modo secum deferat sive portet, nisi ad id accesserit eorundem consensus pariter & voluntas, sicut nostræ majestatis ultionem cupiunt evitare. In cujus rei testimonium præsentes conscribi, & nostræ majestatis Sigillo jussimus communiri. Datum in oppido nostro Franchensurt in die Ascensionis Domini, Anno ejusdem

dem millesimo, trecentesimo, tricesimo octavo, Regni nostri anno vicesimo quarto, Imperij verò undecimo.

Pag 125. *Alius vult portare eadem.)* Jurgii materiem non semel res præbuit. Nota est historiola duorum, qui ex hac contentione, quod uterque caput bubulum pro insigni gereret, ad manus & arma provecti, tandem errore detecto conciliati sunt, quod alter se tauri caput, alter vaccæ gerere agnosceret: descripta (nisi fallor) à Poggio.

Dicit tamen Bartolus.) Cujus de hoc argumento peculiaris libellus extat, De insignibus & armis quem tamen satis acriter & falsè exagitat Laurentius Valla libello singulari ad Candidum Decembrem scripto. Vide & Alciat. lib. 5. Parerg cap. 13.

Pag 126. *Appropinquant naturæ.)* Addo & nomini familiæ. Ferè enim antiquissima quæque insignia familiarum nominibus respondere observamus. Quamvis & ea quæstio inter Heraldos controversiâ non vacet.

CAPUT XV.

N*On nunquam.)* Apud veteres Reges Francorum & Imperatores, Pipinum, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, consuetudo talis erat, quod singulis annis placita duo vel curiæ haberentur, in quibus generalitas universorum majorum tam clericorum quàm laicorum apud Regem conveniebat, & ordinabatur status totius regni, ut ex Adalardo Abbate & primo consiliario Karoli M. refert Hincmarus Remensis Archiepiscopus Epistola 3. ad Carolum Crassum Imp. cap 29. Quem morem Nicolaus de Cusa Cardinalis, utpote Reipublicæ paci & tranquillitati utilissimum & saluberrimum, mirificè probat & in usum reduci suadet, De concord. Cathol. lib. 3. cap. 25. Guntherus lib. 8.

Inde per Italicas famosa potentibus urbes
Curia Romuleis certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges & publica iura
Aut ea quæ fisci rationibus applicat usus,
Omnibus in medium strictè servanda ferantur.

In eiusmodi Curiis plerunque, inter alia magna & publica negocia, fiebant investituræ solemnes Principum & ordinum de feudis Imperii. De quo genere extat libellus Nicolai Mamerami, *De investitura regalium Mauricij Ducis Saxoniæ, Anno 1548.*

Solemnem curiam.) Dicitur etiam Teutonicè, Houe/ Königlicher Houe/ etc.

Iuxta Caroli IIII. Constitutionem.) quæ Aurea Bulla κατ' ἐξοχὴν appellatur: ex qua totum hoc caput desumptum est

Pag 127. *in cuius archicancellariatu.)* In diversis enim locis Imperatores Germani & curias eiusmodi & alias festivitates. Natalis Domini, Paschatos, celebrare solebant, modo in Lombardia, modo Austrasia Saxonia, ad Rhenum. & c. ut in Annalibus passim apparet.

Officium suum agit.) Hæ quidem Electorum singulorum, pro ratione munerum suorum Marschallatus Dapiferiæque. partes sunt in curiis eiusmodi solemnibus ut & in coronatione Regis vel Imperatoris, Comitiis Imperii & aliis eiusmodi panegyricis conventibus: non in aula & quotidiano usu Cæsarum. Ibi enim aliæ generosi stemmatis personæ erant, quæ talibus muniis defungerentur, ut in omni illorum sæculorum historia & diplomatis videre est: veluti (exempli gratia) in illo Friderici II. Imp apud Bruschium de Patavia lib 2. ubi post Episcopos & Duces quosdam sequuntur *Anshelmus de Iustingen Marscalcus Imperii, VValtherus de Sipff Pincerna, Dietho Camerarius, & alii plures.* Actum Norembergæ Anno M. CC XVIII. Et in aliis diplomatis de Annis 1221. & 1270 invenio Wernherum de Bolandia, patrem & filium, *Imperialis Aulæ Dapiferos* se scribere. Alibi Eberhardum de Taun Imp. Friderici II Dapiferum, & Conradum de Winterstetten pincernam legimus. Quod nec ita accipiendum est, quasi illi fuerint Electorum hac in parte vicarii vel substituti, ut qui mox hic nominabuntur de Falckenstein, Bappenheim, Limpurg, Nortenberg: sed quod illi ordinarii essent in aula Cæsaris, Electores non nisi in curiis & comitiis: illi Imperatoris, hi verò ipsius (ut dicam) Imperii. Unde etiam Palatino Electori in veteri stylo titulus datur Deß Heyl. Reichs oberster Druchseß/ quod recentiori usu factum est. Ertztruchseß.

Pag 128. *Subcamerarius.)* Hodie subofficiati & vicarii Principum Electorum hi sunt: Bohemi, Pincerna de Limpurg; Palatini, Dapifer de

fer de Walpurg; Saxonis Baro de Bappenheim, Brandeburgici, Comes de Hohezollern. Hoc loco & illud annotatu dignum non est omittendum. Henricum II. Imp. qui & Claudus dictus, & in sanctorum numerum relatus, Comitatu Bambergense ad se devoluto, postquam eum in Episcopatum erexisset, & eximiis privilegiis reditibusque ornasset & dotasset, pro summo affectu quo locum prosequebatur, grandius ei quod tribueret non invenisse, quam ut quatuor illos Principes imperii officiales, eisdem officiis & ministeriis Episcopatui illi suo adscriberet. Qui & in hanc diem ea ipsa officia cum annexis commodis suis in feudum ab Episcopatu illo recognoscere, & per vicarios suos ex equestri ordine, quibus deinceps in subfeudum eadem concedunt, gerere & deservire solent: nimirum Bohemus per illum de Auffsas, Palatinus illum de Pomersfelden, Saxo Marescalcum de Ebnet, Brandeburgicus illum de Rotenhan Hoc insigne & augustissimum eius Episcopatus ornamentum & ἀξίωμα vulgo *Sericeum Divæ Cunigundis filum* nominari scribit Bruschius in Catal Episcop. Germaniæ. pag. 256. & in ore vulgi est, *Pabepergam muro non esse cingendam, quod S. Cunigundis eam serico filo pro muro circumdederit*, ut not Andr Presbyter in Chron. Bavar. pag 32. Largiter verò errat idem Bruschius, cum scribit Henricum II. Imp. constituisse ut seculares quatuor Electores feudum Electoratus Imperii ab Episcopo Bambergensi accipiant: qui error etiam doctis viris, Peucero lib. 4. Chronicor. Carion. & Spangebergio Chron. Saxon. cap. 161. imposuit. Siquidem illos ea officia & feuda immediatè ab Imperatore recognoscere & ab aula Cæsarea solemni ritu accipere, notius est quàm ut verbis egeat.

Rex Bohemiæ Archipincerna.) Et hæc quidem munia sua obit habens coronam regalem in capite, ex peculiari privilegio, quod edidimus in Bohemicis fol 115.

Magister coquinæ de Nortenberg.) Hodie (ut puto) subdapifer de Walpurg. Porrò extra hæc officia hoc capite enumerata, habuerunt Imperatores etiam stabulatorē, cujus Ligurinus meminit lib. 7.

Id noster digna stabulator corrigat ira.

Quod tamen ibidem de Mareschallo interpretantur scholiastæ Fuit & Venator Imperii ordinarius ex proceribus: quod munus Duci Carinthiæ Æneas Sylvius in Europa cap. 20 Duci Austriæ Spiegelius ad

Alfonsina pag. 271 attribuit: ad Duces Wirtenbergicos tandem venisse constat, quod & insignia eorum loquuntur, non minus quàm vexilliferatum Imperii. Denique Cameram etiam Imperii fuisse antiquitus Mediolanum, legi aqud Trithemium in Hirsaug. m s sub Anno 1389. Atque adeò Piscatores Imperii fuisse Basilienses, & hodierna eorum insignia anchoram referente, ex Doctissimo viro Christiano Urstisio Basiliensi auditum est.

CAPUT XVI.

D*Ebet invigilare.*) Seneca consolatione ad Polybium cap 25. de Cæsare loquens: *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.* Idem Synesius de Regno, ad Arcadium Imp. Nam nisi hæ curæ pro Republica essent Principibus, Diis planè similes forent, ut Augustus ad Liviam dixit apud Dionem.

Ecclesiæ advocatus.) Hoc multis locis inculcat etiam Lupoldus noster Bebenpurgius infra pag. 61. & 97. Sed omnium optimè D. Bernhardus epistola 243 ad Conradum Regem: *Non veniat anima mea,* inquit, *in consilium eorum, qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem & exaltationem Imperij nocituram.* Et concludit hoc epiphonemate: *Quamobrem accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt: & quæ sunt Dei, Deo. Vtrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare: alterum Regi, alterum Ecclesiæ convenit advocato.*

Pag. 129 *Gentilium libri.*) Præsertim Parænetici illi qui Reges & Principes officii sui commonefaciunt ex professo, Isocratis, Plutarchi, Dionis Chrysostomi, Synesii: magis verò Christianorum, Agapeti, Alani, Martini Dumiensis, Alcuini, Salisberiensis, Ferrandi, & Sedulii, cujus libellum hactenus ἀνέκδοτον *De rectoribus Christianis,* eodem hoc tempore ad prælum paramus.

Quoniam cecidit virtus.) Haud querelam toto libello exsequitur Johannes de Clamengiis. *De lapsu & reparatione iustitiæ &c.*

Equestre consilium.) Olim equestris ordo in urbe dabat Judices & centum-

centumviros, & judicatura propria horum fuit: sed utebantur ipsi Assessoribus viris doctis & jurisperitis. Vide Cujac lib. 21. obser. 31. Hotoman. illustri quæst. 27.

Doctissimor. virorum sententia.) E contrario Impp Valentinianum & Valentem laudat Themistius Euphrada, quod ipsi sapientiæ amatores in eodem dignitatis gradu habere soleant homines doctos, facundos, sapientes; quo fortes, strenuos, nobiles, Oratione x. τοῖς στρατηγοῦσι δὲ οἱ φιλοσοφοῦντες ἐν ἴσῃ προεδρίᾳ, γνώμης ἅμα καὶ δυνάμεως σε θεραπευούσης. Et Oratione xi. τίς ὁ μόνιμος ἐποιήσατο τοὺς ἀπὸ τῆς γλώττης ὁμοτίμους τοῖς ἀπὸ τῶν ὅπλων; τίνι δὲ θαρροῦσα φιλοσοφία σεμνότερα ἐμαρτύρησε? Quid Persæ barbari? Marcellinus lib xxiii. *Apud Persas ad iudicandum usu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consiliis indigentes. Vnde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos iurisq; publici peritissimos post indoctorum collocat terga.*

Non codicibus, sed asseribus.) Dicterium, cujus argutiam nondum intelligo. Similiter ferè illud D. Hieronymi in sui temporis hæreticos, *eorum verba inpugnis, syllogismos in calcibus esse.* lib. 2 ad Jovinian.

Iure incerto vivitur.) Quo nihil potest esse perniciosius, ut aliâs prolixè exposuimus ad L. 1. C. de Legibus

Pag. 131. *Per eos qui rus colunt.*) Videnda huc, quæ notavimus supra ad pag 54.

Leges & arma.) Plura suprà ad pag. 41. Homerus adprobat:

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Ovid. *Iusticia dubium, validiune potentior armis.*

Pag. 132. *Oppressus vix iudicem inveniat.*) scripta hæc ante Cameralis judicii fundationem apparet. Cum enim ob divisionem Imperii & Imperatorum absentiã, Consistorium supremum & aulicum Cæsaris satisfacere omnibus non posset, & ἐκ χειρὸς δίκης ferè omnia ab insolentioribus agerentur; Maximilianus I. Imp. ex usu Reipub. futurũ intellexit, ut certum in medio patriæ tribunal velutiq; Parlamentum esset, quo pressi læsique haberent refugium: atq; ita communi Electorum, Principũ & ordinum scitu & consensu generale consistoriũ constituit & ordinavit in Comitiis Wormatiensibus anno 1495. breviq; post eodem anno Francofurti felix benè institutæ rei initium fecit; dum recepto à Judicibus & Assessoribus solemni sacramento, perorante Vito Barone à Wolckenstein gravissimo sermone, ijs

causas & lites dijudicandas demandavit, Prid. Cal. April. tertiaque post die publica audientia ipso Imperatore & proceribus præsentibus publicè haberi cœpta est. Et cum nihilominus ex uno in alium locum subinde hoc Collegium transferretur, neque fixam sedem haberet, constitutum tandem est, ut Spiræ perpetuum & immotu maneret, Comitiis Augustanis 1548.

Continuis diffidationibus.) Gravissima de his querla est Nicolai Cusani Cardinalis lib. 3 De concord Cathol cap. 31. Sed & huic licentiæ & audaciæ modus datus, imò finis impositus per Constitutiones illas saluberrimas Pacis publicæ, Landfriden.

Caput XVII.

PAg. 133. *Ad divinum cultum.)* Multa in hanc rem Parænetici, & inprimis Sedulius noster cap. 1. & seq.

Vt homo.) Nec enim pro Deo habere, gentilis adulationis ritu, Imperatorem volebant Christiani, ut Tertullianus liberè in Apologetico suo ad ipsos Impp profitetur cap. 33 Ideoque voces illas. *Divus, Numini vestro, Altaribus vestris, Perennitati vestræ, Sacra iussio, divina & divalia adeoq; cœlestia rescripta.* & alia eius generis, quibus prisci Cæsares, etiam Christiani, afficiebantur, damnat merito D Prosper. lib. ult. de promiss Dei cap 7 & Johannes Salisberiensis lib. XIII. Polycratici cap 0. Et Carolus quoque M. Lib. de Imaginib. 4. cap. 5 ea à Græcis Imperatoribus usurpata palàm irridet. Jam si homo, ergo memor conditionis suæ & mortalitatis esse debet, à qua nec Cæsares exempti. Quidquid Poeta vetus optet, C. Pedo Albinonanus de funere Drusi ad Liviam.

Cæsaris adde domum, quæ certè funeris expers, debuit &c.) Alanus in Parabolis: *Omnia Cæsar habet, sed gloria Cæsaris esse, Desiit, & tumulus vix erat octo pedum.* Quod etiam triumphans in illo sublimissimo curru (ut ibidem Tertullianus notat) admonebatur, suggerente ei à tergo præcone: *Respice post te, hominem memento te.* In vita B. Johannis Eleemosynarii ita scriptum legitur: Antiquitus postquam Imperator coronabatur, statim ingrediebantur ad eum ædificatores monumentorum dicentes ei: *De quali metallo iubet monumentum fieri Imperium tuum?* ei insinuantes, *quod cum sis homo corruptibilis & transitorius, curam habeto,*

habeto & ipsius, & pie regnum dispone. De Maximiliano I. Imp. legimus, quinque ante obitum annis inter media Imperii & regnorum suorum negocia, sarcophagum cum omni ea supellectili, quæ mortuo ad sepeliendum foret necessaria, per se quàm diligentissimè ordinasse; & clanculo quidem, ne ad hominum ostentationem id fecisse videretur: eumq; secretissimè quinque illis annis, ubicunque locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur quàm diligentissimè singulis noctibus asservari ac reponi jussisse: Arbitrantibus aulæ familiaribus, thesaurum aliquem ibi detineri; aliis libros, aliis quidpiam aliud magnum in eo deferri: Cæsarem (ut semper hilaris erat) subridendo dixisse: *In rei cuiusdam sibi omnium charissima usum id secum deferri.* Ita refert Johannes Faber in eius Imp oratione funebri. Et miror, quod non etiam de sepultura Imperatoris Auctor noster caput fecerit.

Pag. 134 *Romani Deorum suorum.*) Ideo tam acerbi fuerunt in Christianos religionis patriæ quam vocabant novatores: quibus ideo omnia mala publica, pestem, bella, inundationes, sterilitates, imputabant: ut discimus ex Eusebio, Arnobio, Minutio, Tertulliano.

CAPUT XVIII.

PAg. 135. *Regia via.*) Keyserliche Landstrasse. Viæ publicæ inter Regalia Principum referuntur. cap. 1 Quæ sint regal.

Tenetur de robaria.(Debent enim vias stratasque publicas securas tenere, & latronibus purgare. L. 1. § cura. D. offic. præfect. urbis L. congruit De offic. præsid. Aliàs tenentur læsis ad emendationem damni, ut vult Bald in l. 1 § conventiculas. De pace jurament. firm. Felin. in c. postulasti. De foro competent. & in terminis Zasius consf. 14. Quomodo & in Camera judicatum fuisse annotat D. Gail. lib. 2. observat. 64. Vide & Aliciat. 6. parerg. cap ult.

Pag. 136. *Vias tenere securas.*) Provinciam malis hominibus purgando, ut dictum est: emissis qui illos indagent, conquirant, comprehendant, puniant: quos Latrunculatores idem vocat, λῃστοδιώκτας, in L. 61 §. ult De judiciis. nec ab illis corrumpi se patiantur, quo nomine vexat Ausonius Theonem suum, Epistola 4.

An maiora gerens tota regione vagantes.

Persequeris fures? qui te postrema timentes
In partem prædamq; vocent. tu mitis & osor
Sanguinis humani condonas crimina numinis.
Erroremq; vocas, preciumque imponis ab actis
Bubus & in partem scelerum de iudice transis.

Hoc genus *Iustitias errantes* apud Anglos dici, ex Polycratico Johannis Salisberiensis discimus, lib. 5. cap 15. & seq.

Porrò hisce omnibus addere libet gravissimam exhortationem S. Adalberti Pragens. Episcopi ad Ottonem III Imp cui cum familiarissimus ille esset, adeo ut imperialis Cameræ inhæreret (ut auctor vitæ eius scribit) nocte pariter ac die, cum turba locum daret, sanctis alloquiis eum adgrediebatur, docens; *Ne magnum putaret, se Imperatorem esse: cogitaret se hominem moriturum, cinerem, ex pulcherrimo putredinem & vermium escam esse futurum. Viduis exhibere se maritum, pauperibus & pupillis monstrare se patrem: timere Deum, ut iustum ac districtum iudicem: amare, ut pium veniæ largitorem, ac misericordiæ fontem: sollicitè pensare quam angusta via quæ ducit ad vitam, & ad quam perpauci qui intrant per eam: benè agentibus esset ut per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus.* Hæc ille.

Pag 137. *præter paucas Occidentis.*) Imo cum olim omnes ferè orbis exculti provincias, præter Germaniam, Romanum Imperium habuerit; tanta facta est rerũ vicissitudo, ut hodie nihil præter hanc, neque eam totam, habeat.

Pag. 138. *Aquilam deplumarunt.*) Turcus, Rex Gallus, Hispanus, Polonus, Danus, Principes Italiæ, Veneti, Lotharingus, Helvetii, Belgæ, quis non? Et vide quæso fatum & imminutionem Imperii Romani, cuius amplitudo maxima cum fuisset imperante Ulpio Trajano, aut Diocletiano & Constantino cum suis Collegis; ab ultima Hispania & Africa in confinia usque Parthiæ, longitudo graduum, xc. (cujusmodi ccc. absolvunt circulum totius orbis) latitudo ab æquinoctiali versus Septentrionem minimum graduum XLV. extitit. Gradui autem Geographi assignant militaria sexaginta, vel Germania mediocria quindecim. Nunc si eam rationem vocemus, quæ in utraque Germania cis & trans Rhenum, ad confinia usque Galliæ & Sarmatiæ, & Oceanum, tum in Rhetia, Norico, Illy-

rico

rico atque Italia hodie juri Imperii Romani accensentur: vix implebunt longitudinem & latitudinem 10. graduum, hoc est, vix quadragesimam portionem veteris monarchiæ Romanæ æquabunt.

CAPUT XIX.

PAg. 139. *Cum Imperator Urbem.*) Romam quidem ingrediens olim Carolus adhuc Rex Francorum, quomodo à Papa Hadriano fuerit exceptus prolixè describit Anastasius Bibliothecarius: item Lotharius Imperator à Gregorio Papa IIII. Ex recentioribus Cæsaribus, habemus Friderici III. Imp. (ad quem hic liber Adlovii scriptus est) votivam profectionem ad Urbem, cujus meminit Volaterranus lib. 23. eamque prolixè describit Jacob. Piccolomineus Cardinal. Papiensis, Commentarior. suorum lib. 7. Sed & in libro Ceremoniali Rom. Ecclesiæ, quem superius sæpè allegavimus, peculiaris est Titulus, Sectione XIII. cap. 1. *De receptione Principum, & primò de receptione Imperatoris venientis ad Urbem peregrinationis gratia.*

CAPUT XX.

PAg. 140. *De Rom. Imperii exitu.*) Extat peculiaris libellus Engelberti Abbatis Admontensis, qui sub Rudolpho Habspurgio floruit, *De ortu & fine Romani Imperii*, qui cum hoc loco conferri poterit, & in multis convenit. Sed melius & exactius Theodorus Bibliander super vaticinium Esdræ Prophetæ *de fatis Monarchiæ Romanæ*, edit. Basileæ 1553. cuius lectionem magnopere aommendo.

Permansit durabitque.) Ita quidem & Romani putarunt, veteri & ridicula persuasione possessi à se Palladii, & librorum Sibyllinorum, Æternam Urbem & Imperium somniantes, *pro æternitate Imperii* vota nuncupantes, ludosque edentes & victimas cædentes, & blandientes sibi de illo Jovis verbo ad Junonem:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:

IMPERIVM SINE FINE DEDI. Quo alludit Sulpicia Poetria in Satyra de edicto Domitiani:

Aut frustra vxori mendaxq; Diespiter olim,
IMPERIVM SINE FINE DEDI, dixisse probatur.

Prudentium autem ad religionē Christianam illud refert, lib. I. in Symmachum:

Denique nec metas statuit, nec tempora ponit:
IMPERIVM SINE FINE docet, ne Romula virtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.

Et vetus extat omen Pomponii Poëtæ:

Roma caput rerum, nunquam tua gloria obibit:
Nam victrix Dea te haud deseret involucris.

Idem tamen Vergilius 2 Georgicor.

Non res Romanæ, perituraq; regna.

Quos duos locos ingeniosissimè concilians Fr. Petrarcha Epistola 4. inter eas sine titulo, ad ipsum populum Romanum 609 Et sanè tantum fuit odium Romani nominis quando ad summam illam potentiam cum tot populorum & gentium injuria ascenderat ut interitum eius nō tantùm optarent, sed omnes certum ad id eruendum & delendum festinarent: Germanæ præsertim gentes, Cimbri, Teutones. Gothi, Vandali, Longobardi, Franci Saxones, quas illa gloria fatalis manebat. Et jam tum Nerone cæso provinciis deficientibus in Gallia oriente & alibi videbatur occasurum Imperium: mox sub Vespasiano, cum fortuito incendio Capitolium deletum esset *finem Imperii adesse,* Germani credebant: *fatali igne signum cœlestis iræ datum, & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, Druidæ canebant,* ut Tacitus IIII Historiar. scribit. Idemque Tacitus secundo consulatu Trajani scribens Germaniam. *Quando,* inquit, *urgentibus Imperii fatis nihil præstare fortuna maius potest, quàm hostium discordiam.* Deinceps verò sub Theodosio *planè* (ut Latinus Pacatus Panegyristes ad illum loquitur) *nutabant Romanæ rei fata, Barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis.* De Gothorum Rege Prudentius II. in Symmachum ita ait:

Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Istro
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis

Solver,

Solvere, mastrucis proceres vestire togatos,
Iamq; ruens, Venetos turmis protriverat agros.

De Ataulpho Gothorum Rege refert Orosius lib 7. cap. 43. illum qui esset animo viribusq; nimius, inprimis ardenter inhiasse, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne solum *Gothorum imperium* & faceret & vocaret: essetque *Gothia* quod Romania fuisset. fieretq; nunc *Ataulphus*, quod quondam Cæsar Augustus &c. Wilhelmus Gemiticensis lib. 1. de Ducib. Norman. narrat cap. 19 de Hassingo duce, quomodo ardens Romam invadere & evertere, errore Lunis civitatem appulerit, & destruxerit. Tantum erat apud illos populos Romani nominis odium. Ideoq; cum tempus advenisset ultionis divinæ in illos orbis prædones & gentium tyrannos Romanos, ex abscondito quodam orbis angulo, ubi putabatur vastitas quædam esse terrarum incolis carens, tantumq; feris habitata bestiis, uno momento tanta hominum inundatio prorupit, quæ totum orbem opplere posse videretur. Tum statim à Gothis ablata Romanis omnis ferè Græcia, insuper Italia & Hispania; à Bulgaris Dacia atque Mysia; à Vandalis tota Africa; à Francis Germania & Gallia; à Saxonibus Britannia; à Sclavis Sarmatia, Dalmatia, Illyricum: nec multo post à Saracenis Ægyptus, Arabia, Syria, Chaldæa, à Tartaris Armenia, Hircania, Colchis, & quicquid ad mare Caspium & Hircanum spatii interjacet; à Turcis universa minor Asia, cum Cappadocia, Ponto, Bythynia, & reliquis ad Persarum usque terminos Asiæ provinciis; à Persis quidquid in Indiam usque porrigitur. Quæ omnia barbaris gentibus hostibus Romani nominis cesserunt. Ut non vana fuisse imprecatio videatur cujusdam Romani apud Lucanum lib. 11.

—— dat gentibus iras.

Donec venturus Antichristus.) Eius abominatione & honore, diuturnitatem Imperii Romani optare & à Deo petere solebant veteres Christiani. Tertullianus Apologetico: *Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, & pro omni statu Imperij rebusq; Romanis: quod vim maximam universo orbis imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Id quod nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Et rursus paulo post: *Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Idem ad Scapulam prolixè

Inculcat, & addit. *Quousque sæculum stabit, tam diu enim stabit Imperium.* Idemque in libro De resurrect. carnis, sic interpretatur locum illum D. Pauli ad Thessalonienses, ut quemadmodum non est futurus finis sæculi, antequam reveletur Antichristus: sic Antichristum venturum non esse, antequam deficiat Romanum Imperium. Itaque ait, *Romanum statum obstare, quominus ille veniat.*

Gentes subtrahent se) Atqui hoc jam dudum factum sub Phoca Imp. Historici omnes testantur, ex quibus idipsum Auctor noster exposuit sup. lib. 1, cap. 13. in princip. Ideoque jam ex illo tempore multi veterum Patrum, venisse Antichristum interpretati sunt. Ut D. Hieronymus, cum urbem à Gothis captam videret, scripsit ad Gerontium *appropinquare Antichristum.*

Pag. 141. *S. Methodius Martyr.)* Cujus opusculum extat in Orthodoxographis. Et de hac discessione gentium eadem est opinio Othonis Frisingensis lib. 8. Chronicor.

Tanta humanæ miseriæ calamitas.) Quam num adhuc expectamus? & ut in hoc campo concludamus verbis Eucherii ad Valerianum, *dissipatas loquimur mundi opes, cum iam ipse mundus in finem suum vergens, spaciis agatur extremis, Postrema mundi ætas referta est, tanquam morbis senectus. Visa sunt, videnturque iamdudum isto cano seculo, fames, pestilentia, vastitas, bella, terrores. Hi sunt in ultimis iam annis languores sui. Hinc sæpe illa cæli cernuntur signa, motusque terrarum, permutatæ temporum vices monstrosa animantium fœcunditates: quæ omnia procedentis adhuc prodigia sunt temporis, sed iam deficientis. Atque hoc non infirmitatis nostræ verbis, sed etiam Apostolicæ authoritatis confirmatur eloquiis: Illic enim legitur:* IN NOS FINES SECULORUM DEVENERUNT. *Quod cum iam dudum dictum sit, quid cunctamur, quid expectamus? Vrget nos dies ille iam non noster tantum, sed & seculi.*

Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus altis
Sopitum tenebris stereli deprendat in actu,
Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
Iudicis adventu trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt, gestitq; anima id iam causa futuri,
Vsque cavens, ne vincta ægris pro corpore curis.
Ponderibusq; gravis rerum, si forte recluso
Increpitet tuba vasta polo, non possit in auras

Regis

Regis ad occursum levibus se tollere pennis,
Inter honora volans sanctorum millia cælo:
Cælestem ut medio venerentur in aere Regem,
Claraq; odorato coniungant agmina Christo.

ETIAM DOMINE JESU VENI.



CEREMONIALIS ROMANI LIBRI PRIMI SECTIO. V.

CAPUT I.

De adventu & coronatione electi in Imperatorem Romanorum.

ELECTUS REX FUTURUS ROMANORUM IMPERAtor primum conſuevit electionem ſuam per ſuos ſolemnes oratores Pontifici ſummo intimare. & decretum electionis oſtendere, devotionem ac fidelem reverentiam exhibere, favorem & gratiam Apoſtolicæ ſedis implorare, offerre ſe ad quæcunque fidelitatis juramenta Romanæ Eccleſiæ præſtanda, & demum unctionem conſecrationem & Imperii diadema humiliter poſtulare. Pontifices verò conſueverunt viſo decreto, & examinata electione in ſacro ſenatu, habitaque ſufficienti informatione tam ſuper forma electionis quàm ſuper idoneitate & habilitate perſonæ electi, per commiſſarios à ſe conſtitutos ad inſtantiam dicti electi ipſum electum in ſpiritualem filium ſuum & Eccleſiæ Romanæ ſuſcipere, illiq; favorem & gratiam concedere, & ipſius Regis electi perſona idonea reputata eum nominare, denuntiare, aſſumere, & declarare Regem Romanorum, ac etiam habilem & ſufficientem declarare ad ſuſcipiendam Imperialis celſitudinis dignitatem, decernere conſecrationem & coronationem per manus ſuas eſſe impendendas, & ſupplere omnes defectus &c. Hoc ſervatum legimus in Carolo IIII. à Clemente VI. & antea in Henrico VII. à Clemente V. & in Alberto eius prædeceſſore, & Rodolfo patre à Bonifacio VIII. & à pluribus aliis. & in VVenceslao Caroli IIII. filio, quem pater adhuc vivens in Romanorum Regem ab Electoribus deligari procuraverat: cuius rei approbationem cum Gregorius XI. ad quem delata erat, morte præventus decernere non poſſet, Urbanus VI. eius ſucceſſor legitimè confecit.

CAPUT II.

Quomodo veniente Imperatore mittantur Legati Apoſtolici.

ELectus igitur Rom. Rex cum ſtatuerit Urbum petere ad imperiale diadema de manu ſummi Pontificis ſuſcipiendum, primum convenit per nuncios ſuos cum Romano antiſtite de modo & tempore intrandi, ut Pontifex rebus opportune conſulere poſſit. Deinde cum Pontifex noverit Cæſarem jam Italiam intraſſe, mittit illi obviam duos Legatos de latere, qui illum conveniunt, ante-

quam

quam terras Romanæ Ecclesiæ ingrediatur. Et post gratulationes, salutationem & benedictionem, nomine Pontificis honesto modo exigunt ab illo juramentum solitum præstari ab electis Imperatoribus, antequam intrent agrum Romanæ Ecclesiæ, in forma quæ in Decretis cavetur, videlicet: *Ego R. Rex Romanorum promitto & juro per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per lignum vivificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod si permittente Domino Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & sanctitatem suam rectorem ipsius, exaltabo secundum posse meum, & nunquam vitam, membrum, neq; honorem quem habet, mea voluntate, meo consilio, meo consensu, aut mea exhortatione perdet. Et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad sanctitatem suam aut ad Romanos pertinent, sine vestro consilio. Et quidquid de terra S. Petri ad nostram potestatem pervenerit, suæ sanctitati reddam. Et cuicunq; Italicum regimen commisero, jurare faciam illum ut adjutor suæ sanctitatis sit ad defendendam, terram S. Petri secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.* Aliquando Oratores electi, quando veniunt ad intimandum electionem, & ad petendum approbationem nomine electi Regis, solent præstare supra dictum juramentum si ad hoc habent speciale mandatum. Hoc juramentum Fridericus III. Imp. dum Senis esset, in manibus legatorum Apostolicorum anno salutis M. CCCC. LI. præstitit, & ante eum plures alii.

Dehinc, ut primum Ecclesiæ territorium ingressus est Cæsar, consuevit eum sua familia impensis Pontificis ali, quandiu & Romæ & in agro Romano fuerit. Nicolaus verò quamvis Freder eo prædicto eum familiaribus quingentis tantum expensas promiserit, longè tamen plures ære suo aluit.

Ut Sutrium venit Cæsar, vel locum Urbis vicinum, ita ut pridie post applicare ad urbem possit, legati Apostolici illum cum aliquibus Prælatis à Pontifice missis qui necessaria curent, dimittunt & Romam perveniunt.

Sequenti die electus Imperator Romam missus carpit iter: cui honoris gratia obviam mittuntur à Pontifice Prælati, Barones, & curiales hoc ordine, ut in Friderici adventu servatum est. Primi ad sextum lapidem Columnenses proceres cum suis amicis & clientelis, & mox Ursini atque alii Barones urbis: tum Pontificis copiæ, quæ adsunt cum illarum præfecto: inde Vicecamerarius cum præfecto Urbis, Senatore, conservatoribus officialibus, & aliis nobilibus civibus Romanis: deinde ordines Curiæ, cum regente Cancellariæ, sive alio aliquo Prælato: demum alii Prælati domestici Pontificis cum omni ejus familia: & tandem sacrum Cardinalium Collegium, ad radices montis juxta domum leprosorum Cæsarem expectabunt. Hi omnes distinctis intervallis Imperatori electo obviabunt. Oratores vero Principum si qui in urbe erunt, pro suo libitu obviam procedent. Cardinales ut Cæsarem convenient, congratulationibus & oblationibus factis nomine Pontificis & Collegij, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales, deducent usque ad tentorium, sive alium locum sibi deputatum extra urbem. Nam Cæsar non consuevit ea die qua appulit, Urbem intrare, sed pernoctare saltem una nocte extra mœnia in campis. Cardinales & alij omnes postquam Cæsar ad locum deputatum pervenerit, in Urbem revertuntur.

Consueverunt etiam electi Imperatores hac die antequam ponticulum, qui primus ante ingressum Urbis post descensum montem occurrit, pertranseant, præstare juramentum Romanis in hanc formam. *Ego Rex Rom. futurus Imp. juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas, sic Deus me adjuvet.*

Caput III.

De Urbis ingressu Imperatoris.

Postera die Cæsar per portam, quæ est sub arce S. Angeli, hoc ordine quasi triumphans ingreditur. Primo die equites vexilla duo Cæsaris portant, alterum S. Georgii, quod ad Suevorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum. Hos sequuntur Cæsaris cohortes armatæ, tum nobiles proceres & togati eius: inde Oratores Regum & Principum, qui adsunt. Tum si quis adest Rex aut maximus Princeps, ut fuit cum Friderico Rex Ungariæ & Bohemiæ Ladislaus. Et tunc sequitur Præfectus urbis, & Senator. Et ad Præfectum quidem pertinebat nudum ensem ante Cæsarem ferre: Frederico tamen Marescallus suus, non Præfectus, gladium prætulit. Inter istos autem & Cæsarem nemo equitare debet, nisi Marescallus, si Præfectus non præfert ensem. Incedit deinde Cæsar solus equitans, & post eum Prælati, Consiliarii, proceres inermes, & alii togati sui. Deinde modico intervallo Imperatricis familia, si uxor virum sequitur, succedere debet. Ante illam nobiles & prælati: & post matronæ, virgines & pedissequæ: circa eam verò solam equitantem pedites multi. Ultimò incedunt Ecclesiasticæ copiæ pompam claudentes. Portam ipsam qua sub arce ingrediuntur, nostri Codices falsò Collinam appellant. Collina autem porta non est in Iovis Leonis Papæ suburbiis, sed in antiqua Roma, Quirinalis primum dicta, deinde Collina (ut scripsit Varro) à pluribus montibus qui in Quirinali monte continebantur: hodie Salaria nuncupatur, quia inde via salaria itur. In porta igitur quæ sub arce est, non Collina, clerus urbis sacris vestibus ornatus, cum crucibus & Sanctorum reliquiis, præsidente Vicario urbis & aliis Ecclesiarum prælatis infulatis Cæsarem expectant, advenienti cruces deosculandas offerunt, & eum incensant, ac cantantes, *Ecce mitto Angelum meum &c.* procedunt usque ad gradus Basilicæ principis Apostolorum. Principes autem digniores baldachinum supra Cæsaris caput portant, Conservatores freno equum ducunt. Cum verò est in magna area ante gradus, Præfectus & Senator id gerunt: & descendente ex equo Cæsare Præfectus stapham tenet, deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem Cæsaris Camerarius pecuniam spargere consuevit. In plano supra gradus Basilicæ ante primum porticum ad dextram ascendentibus erigitur suggestus ornatus cum throno Pontificali, & sedibus Cardinalium Prælatorum, & aliorum officialium: supra quem suggestum Pontifex pluviali & mitra preciosis indutus ascendit cum ordinibus curiæ paulo antea quàm Cæsar apparet. Electus Imperator cum suis omnibus servato ordine, ut equum descendit per gradus ascendit suggestum. Et ut primum Pontificem videt, detecto capite illum genu terram tangens veneratur: & iterum cum appropinquat ad gradus sedis, genu flectit: demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentia salvatoris devotè osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens ad osculum manus & oris recipit. Tum Cæsar iterum genu flexus auri massam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore suscepto, prout ei videbitur. Pontifex benignè respondens illum sublevat, & summæ caritatis declaratione amplectitur. Et stante ibi ad dextram

ftram Pontificis Cæsare, Pontifex recipit Imperatricē ad osculum pedis & manus, Regem verò si quis adest, ad osculum pedis, manus & oris: alios autem Prælatos, proceres & nobiles Cæsaris ad osculum pedis tantum. His finitis surgit Pontifex. & manu sinistra Cæsarem capiens è suggestu descendit, & pariter ad secundum usque Ecclesiæ porticum cum eo progreditur. Deinde Palatium ascendit, ad Cameram suam reversurus, & Cæsar duobus aut quatuor Cardinalibus sociatus templum ingreditur, Apostolorum sacras reliquias veneraturus cum suis omnibus. Inde ad loca cuique destinata revertuntur. Cæsar postera die oportuno tempore ad Pontificem accedet, & cum eo de incumbentibus ad solennitatem pertractabit. Statuent de die coronationis, & si qua erunt prius peragenda, deliberabunt. Et notandum quod Cæsar, antequam coronetur Imperiali diademate, sedet post priprimum Episcopum Cardinalem: & si quis Rex adest, sedet tunc post primum presbyterum Cardinalem. Cum verò Cæsar erit coronatus, tunc sedebit in sede sibi parata inter Papam & primum Episcopum Cardinalem: & tunc Rex erit post primum Episcopum Cardinalem.

Adveniente die statuta Imperialis coronationis quæ convenientissima est in Dominica Lætare in medio quadragesimæ (ut Durantes in rationali divinorum scripsit, & ita à Nicolao V. in coronatione Frederici III. servatum est) Ecclesia Sancti Petri & capella major erunt decenter ornatæ, ut in maximis solennitatibus cum Pontifex est celebraturus divina, solent ornari: & præter consueta erigantur duo suggestus hinc & inde extra cancellos capellæ, alter pro Imperatore electo ad sinistram venientibus, alter à dextra pro Imperatrice, & orneiur tapetis, auleis, sedibus, scabellis, & aliis oportunis Ecclesia tota, & maximè capella D. Georgii, D. Mauritii, & quæ D. Mariæ in turribus appellata extra Ecclesiam in prima porticu sub turri campanaria est, benè mundentur ornenturque. Imperatrix verò, antequam Pontifex descendat ad Ecclesiam, cum suis ornata perveniens suggestum sibi paratum conscendit. Summo igitur mane Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis & aliis officialibus, paratis colore tempori & missæ congruis, veluti ad supplicationem, & sub baldachino descendat ad Ecclesiam, & præmittat duos Diaconos Cardinales cum suis cappis laneis ad Cæsarem, qui eum congruo tempore ad Ecclesiam deducant. Pontifex facta reverentia ante altare accedet ad sedem, ubi consuevit accipere paramenta, & ibi recipiet ad reverentiam omnes Prælatos paratos. Incipiet tertiam, & accipiet sandalia ut alias, & dicta oratione induitur omnibus paramentis Pontificalibus. Interim Cardinales qui sunt cum Cæsare, ut primum cognoverint Pontificem intrasse Ecclesiam, & ipsi cum Cæsare, & omni sua Comitiva ad Ecclesiam descendant: & egressi primam Palatii portam, per primas Ecclesiæ portas ad capellam quæ vocatur Beatæ Mariæ inter turres. Ibi à Canonicis & Collegio Ecclesiæ occurrenti recipitur. Quo deductus Cæsar ad altare dictæ Capellæ in manibus primi Cardinalis præsentis, & nomine Pontificis recipientis, Beato Petro summo Pontifici, & suis successoribus solitum juramentum præstabit in forma subscripta, videlicet: *Ego N. Rex Romanorum adjuvante Domino futurus Imperator, promitto, spondeo & polliceor, atque juro Deo & Beato Petro, me de cætero protectorem atque defensorem fore summi Pontificis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus eius, custodiendo & conservando possessiones, honores & iura ac jus, quantum divino fultus adiutorio fuero, secundum scire & posse meum, rectâ & purâ fide. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Euangelia.* Tum

indutus superpellicio & almutia, recipitur à Canonicis Sancti Petri in Canonicū & in fratrē; quos omnes stans ante altare dictæ capellæ recipit ad osculum pacis. Inde præcedente clero, & cantante responsum, *Petre amas me. Tu scis Domine, quia amo te. Pasce oves meas.* Vers. *Simon Ioannis amas me plus his. Tu scis Domine quia amo te. Pasce &c.* Alii Cæsaris proceres suo ordine deveniunt ad portam principalem ipsius basilicæ, quæ Argentea nominatur, & ex quinq; media est. Interim Episcopi Cardinales post priorem antiquiores, facta reverentia Pontifici, cū suis mitris & pluvialibus veniunt ad prædictam portam, dum Cæsar adhuc est in dicta Capella inter turres. Et ante eū junior Episcopus Cardinalis stans sine mitra supra Cæsarem genuflexum orantem, dicit hanc orationem: *Oremus. Deus in cuius manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & huic famulo tuo Regi veram appone sapientiam, ut haustu de tuo fonte consilij & tibi placeat, & super omnia praecellat, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Finita prima oratione intrant Ecclesiam, Cæsare incedente semper inter duos Diaconos Cardinales prædictos, & immediatè præcedentibus duobus Episcopis Cardinalibus præfatis & flectentes ad sinistram perveniunt ad capellam S. Georgii: ubi Imperator sedens, deposita Almutia primo induit sandalia, deinde stans tunicellam, & demum Imperiale paludamentum. Et mox inde procedens ad medium Ecclesiæ, ubi rota est porphyretica, venit: & ibi ab alio Episcopo Cardinali sibi assistente dicitur sub eum alia oratio, videlicet. *Deus inenarrabilis auctor mundi conditor generis humani, gubernator Imperij, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ praelegisti regem seculis profuturum, tu præsentem Regem hunc cum exercitu suo per intercessionem Sanctorum uberi benedictione aeternitatis circunda, ut semper maneant læti, & triumphantes in pace victores, per Christum Dominum nostrum Amen.* Procedunt deinde ad confessionem beati Petri sub altare, ubi procumbit super faldistorium Imperator, & duo Episcopi Cardinales ascendunt capellam, & vadunt ad sedes suas: prior autem Diaconorum, ac prior presbyterorum parati descendunt ad eum, atque hinc inde genuflectunt, & Diaconus ipse facit Litaniam procumbens ad sinistram, omnibus alta voce replicantibus & flexis genibus permanentibus. Finita Litania surgit prior presbyterorum, & super Cæsarem adhuc procumbentem dicit: *Pater noster. & ne nos. Salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.* Vers. *Nihil perficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum, & cum Spiritu tuo.* Oremus. *Pratende, quæsumus Domine, famulo tuo dextrā cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur. Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.* Et cum Diacono his finitis revertitur ad locum suum inter alios Cardinales. Dum ultimæ orationes dicuntur per alium presbyterum Cardinalem, prior Episcoporum Cardinalium cum pluviali stola & mitra descendit ad imperatorem, & simul cum duobus Diaconis finitis orationibus ducit illum ad altare Sancti Mauritii, ubi stans cum mitra inungit brachium dextrum Cæsaris & scapulas, cum oleo exorcizato, in modum crucis: & deposita mitra dicit: *Oremus. Deus Omnipotens, cuius est omnis potestas & dignitas, te supplici oratione atq; humilima prece deposcimus, ut huic famulo tuo N. prosperum Imperatoriæ Majestatis concedas effectum, ut in tua protectione constituto ad regendum Ecclesiam tuam sanctam nihil ei præsentia officiant futura nihil obsistant: sed inspirante S. Spiritus dono populum sibi subditum æquo justitiæ libramine*

regere

regere valeat, & in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster, qui à Patre Deo participaticiis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri Vnguenti infusionem Spiritus paracleti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili & tractabili dono invisibilia percipere & temporali regno justis moderationibus æternaliter conregnare ei merearis, qui sine peccato Rex regum vivit cum Deo patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen. Interea adducitur Imperatrix, si adest, & similiter perungitur in eisdem locis. Deinde dicitur per eundem Cardinalem Episcopum oratio super eam, cum mitra, quia ad eam non ad Deum oratio dirigitur: *Spiritus Sancti gratia nostræ humilitatis officio copiosa in te descendat, ut sicut manibus nostris licet indignis oleo materiali oblinita pinguescis exterius, ita eius invisibili unctione delibuta impinguari merearis interius, eiusque spirituali unctione perfectissimè semper imbuta, & illicita declinare tota mente atque spernere discas & valeas, & utilia animæ tuæ jugiter optare atque operari queas, & operari auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus &c.* Et hæc quidem fiunt ad altare beati Mauritii: nam ad altare beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, nisi Romanus Pontifex solus. His completis Imperatrix ad suum suggestum revertitur. Et Cæsar cum Episcopo Cardinali & Diaconis ad Pontificem, Diaconi acceptis suis Dalmaticis & mitris in manibus vadunt ad reverentiam Papæ, qui descendens de sede sua procedit ad altare supplicabundus more solito, & recipit ad osculum oris & pectoris tres presbyteros Cardinales assistentes, genuflexo super suum faldisterium permanente. Facta confessione Pontifex accedit altare, osculatur, & incensat, ut aliàs: deinde recipit ad osculum oris & pectoris primo Cæsarem, deinde tres suos Diaconos Cardinales. Et mox ad eminentem sedem ascendit, & Cæsar ad suum suggestum cum suis principalibus & ministris deducitur. Cum Pontifex decessit à latere, ministri Cæsaris afferunt gladium cum sua vagina & cingulo, coronam, sceptrum, & pomum, danda suo tempore Imperatori & Imperatrici: quæ per sacristam & clericum ceremoniarum locantur super altare. Interim verò dum Pontifex facit confessionem, incipit chorus Introitum & Kyriel. Pontifex verò in sede eminenti stans sine mitra, legit introitum, & procedit in missa, ut alias usque ad dictam Epistolam & graduale. Sed post orationem diei dicit pro ipso Imperatore hanc orationem: *Oremus. Deus regnorum omnium & Christiani maximè protector imperij, da servo tuo N. Imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione sit Princeps, tuo semper munere sit potens.* Pro Secreta. *Suscipe Domine hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachij tui operare miracula, ut superatis inimicis secura tibi serviat Christiana libertate, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum unigenitum &c.* Post communionem: *Deus qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum Imperium præparasti, prætende famulo tuo Imperatori nostro N. arma cœlestia, ut pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum, per Dominum nostrum Iesum Christum.* Dum cantatur graduale, Cæsar descendens è suggestu venit ad pedes sanctissimi Domini nostri, deducentibus eum duobus Diaconibus Cardinalibus paratis: & unus ex Clericis cameræ ex altari accipit gladium cum sua vagina & illum ad priorem Diaconorum stantem ante Pontificem ad dexteram portat, quem Pontifex vagina extractum de manu ipsius Diaconi accipiens, Imperatori ante se genuflexo in dextra manu tradit, ipse cum mitra sedens ac dicens: *Accipe gladium de super beati Petri Apostoli corpore sumptum*

per manus nostras licet indignas, vice tamē & auctoritate Dei omnipotentis & beatorū Apostolorū consecratas, Imperialiter tibi concessum, nostraq; benedictionis officio in defensionē S. Matris Ecclesiæ divinitus ad vindictam malefactorū, laudem verò bonorum. Et memor esto, de quo Psalmista prophetavit, dicens: Accingere gladio tuo super femur tuū, potentissime, ut in hoc vim æquitatis exerceas, per eundem molē iniquitatis potentissimè destruas, & sanctā Dei Ecclesiam ejusq; fideles propugnes atq; protegas, neq; minus sub fide falsos quam Christiani nominis hostes exteras atq; dispergas, viduas atq; pupillos clementer adjuves atq; defendas. Desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris injusta, conserves benè disposita: quatenus hoc agendo virtutum triumphator gloriosus, Justitiæ cultor egregius cum mundi salvatore (cujus typum geris) in nomine ejus sine fine regnare merearis. Qui cū Patre & Spiritu sancto vivit &c. Finita oratione Diaconus accipit gladiū, & reponit illum in vagina quam habebat in manu, & simul cum Pontifice accingit illo Cæsarē, dicente Pontifice: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Et attende, quia Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.* Accinctus gladio Imperator, & miles beati Petri effectus, surgens evaginat gladiū, ter illum vibrat, deinde reponit in vaginam, & iterum genuflectit. Cui Pontifex pomū de altari & sceptrum (ut de gladio diximus) ad eam portata, in manu dextra pomū & in sinistra sceptrū ponit, dicens: *Accipe virgam virtutis atq; veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manū porrigere, disperdere superbos, & relevare humiles. Et aperiat tibi ostium Iesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait: Ego sum ostiū, per me si quis introierit, salvabitur, Qui est clavis David & sceptrū Domus Israel qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris, sedentē in tenebris & umbra mortis, ut in omnibus sequi merearis eū de quo David Propheta cecinit: Sedes tua Iesus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Et imitando ipsum diligas justitiam, & odio habeas iniquitatem: quia propterea unxit te Deus Deus tuus ad exemplum illius, quem ante secula unxerat oleo exultationis præ participibus suis, Iesum Christū Dominum nostrū, qui cum eo vivit & regnat Deus &c.* Demū Imperialē Coronam cum sua Tiara allatā sibi ex altari (ut de aliis diximus) imponit super ejus caput, dicens: *Accipe signum gloriæ & Diadema regni, coronā Imperij, In nomine † Patris & † Filij & † Spiritus Sancti, ut spreto antiquo hoste, spretisq; contagijs vitiorum omnium, sic justitiam misericordiā & judiciū diligas, & ita justè piè & misericorditer vivas, ut ab ipso Domino nostro Iesu Christo in consortio Sanctorū æterni regni coronam percipias, qui cum Patre &c.* Et mox Imperator osculatur pedes Pontificis, & surgens discingitur gladio, eumq; armigero suo tradit. Et ipse cum corona, sceptro & pomo procedens, ab illis duobus Diaconibus ducitur ad sedem Imperialem paratam sibi à dextra Pontificis, inter Pontificē & priorem Episcoporū Cardinalium, quæ sedes altior erit sedibus Cardinalium, & humilior papali sede, habebitq; aureū pannum post tergum & parvū scabellum ad pedes: & ibi sedebit, quousq; Imperatrix coronetur. Imperatrix verò ducetur ab eisdem ad Pontificē, qui surgens sine mitra, super eam genuflexā dicit hanc orationē: *Deus qui solus habes immortalitatē, lucemq; habitas inaccessibilem, cujus sapientia in sua dispositione non fallitur, qui facis cuncta quæ futura sunt, & vocas ea quæ nō sunt, sicut ea quæ sunt, qui superbos æquo moderamine de principatu dejicis, atq; humiles dignanter in sublime provehis: ineffabilem misericordiam tuā supplices exoramus, ut sicut Hester reginam Israheliticæ causa salutis de captivitatis suæ compede solutā ad Regis Assueri thalamum regniq; sui consortiū transire fecisti, ita hanc famulam tuā N. humilitatis nostræ benedictione, Christianæ plebis salutis gratia, ad dignam sublimemq; imperatoris nostri copulam & Imperij sui participatū transire concedas: & ut in Imperialis fœdere conjugij semper permanens pudica: proximā virginitati*

palmam

palmam contiuere queat, sibiq; Deo vero & vivo in omnibus & super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante quæ tibi placita sunt toto corde perficiat, per Christũ Dominũ nostrũ, Amẽ. Deinde sedens cum mitra, accipit coronã Imperialem de manu prioris Diaconorũ Cardinaliũ ex altari allatã & imponit super illius caput dicens: *Officio nostræ indignitatis N. Imperatrix solenniter benedicta. Accipe coronã Imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur, ut sicut auro & gemmis redimita nites, ita & internis auro sapientiæ virtutumq; gemmis te omnipotens decorari concedat, quatenus post occasum huius seculi cum prudentibus virginibus sponso perenni Domino nostro Iesu Christo dignè & laudabiliter occurrens, regni cœlestis aula ingredi merearis januã eodẽ Domino nostro Iesu Christo auxiliante, qui cũ Patre, &c.* Et coronata statim osculatur pedes Pontificis, & surgens inducitur tam ipsa, quàm Cæsar simul ad suos suggestus, ubi in sedibus sibi paratis locantur. Et sedentibus Imperatore & Augusta in sedibus cum Imperialibus ornamentis, prior subdiaconorũ Apostolicorum, cum aliis subdiaconis & cum capellanis aulæ Imperialis, descendit ad confessionẽ beati Petri, alta voce simul cũ ipsis facit laudes Imperatori dicens: *Exaudi Christe.* Scrinarii verò Urbis cũ cappis sericeis stantes superius apud Chorũ respondent: *Domino Frederico invictissimo Rom. Imperatori & semper Augusto, salus & victoria.* Qua laude tertio repetita, prior Diaconorum cũ suis tribus vicibus dicat: *Salvator mundi.* Scrinarii vicissim dicant: *Tu illum adjuva.* Et deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: *S. Maria.* Et illi vicissim respondeant: *Tu illum adjuva.* Et sic deinceps. Posthæc omnibus ad locum suum revertentibus, cantatur Alleluja vel tractus, & deinde Evangeliũ. Credo & Offertoriũ. Deinde Imperator & corona & manto depositis, sine sceptro aut pomo descendit: & ad Pontificis pedes [illegible]rũ offert, quantum sibi placet. Et similiter post eũ facit Imperatrix: quæ deinde nõ revertitur ad suggestum, sed procumbit super faldisterium à dextra parte altaris sibi paratũ, in loco ubi non impediat credentiam, & ibi expectat usq ad concionẽ. Imperator verò Pontificem ad altare descendentẽ sequitur, & illi in locum Subdiaconi calicẽ & patinam cũ ostiis offert, deinde aquam infundendam in vino. Et retrahens se ad partẽ dextram, stat usq; quo Pontifex ad sedem eminentẽ communicaturus revertatur, quem Imperator sequitur & ab eius manibus ipse primo, deinde Augusta sacrã Corporis Christi communionẽ sumant, postquam Pontifex cum Diacono & Subdiacono communicaverint. Nam Subdiaconus postquam cum Diacono communicavit, de Corpore & Sanguine Christi, accipit de manu Diaconi apud altare cum circulis & ceremoniis consuetis duas hostias consecratas pro Imperatore & Augusta, & eas ad Pontificem portat. Et percepto Sacramento Imperator quidem Pontificis faciem osculatur, Augusta verò manum: & descendentes ad altare de manu Diaconi vinum purificationis sumitur, & descendant ambo ad duos suggestus ibiq; resumant Imperialia signa. Poterit tamen Pontifex, si ei videbitur, super Imperatorem ante se genuflexum immediatè, postquam illum cum Augusta communicaverit, infra scriptas orationes dicere, videlicet: *Respice quæsumus Omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum N. ut sicut benedixisti Abraham Isaac & Iacob, sic illi largiaris benedictionem spiritualis gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei, & omnium frugum opulentiam, & ex largitate divini muneris longæva tempora, ut illo regnante sit sanitas corporis, Imperio pax inviolata sit in regno, & dignitas gloriosa regalis palatij maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, lumeque clarissima coruscare atque splendescere quasi splendidissimi*

fulgoris maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector & consolator Ecclesiarum atque cœnobiorum Sanctorum, maxima pietatis, regalis munificentiæ, atque ut sit fortissimus triumphator hostium, ad opprimendos rebelles & paganas nationes, sitque suis inimicis satis terribilis, maxima fortitudine Regalis potentiæ optimatibus quoque ac præcelsis proceribus & fidelibus sui regni sit munificus, amabilis & pius & ab omnibus timeatur & diligatur. Et post gloriosa tempora atque felicis vitæ præsentis gaudia in perpetua beatitudine habitare mereatur, per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Benedic quæsumus Domine hunc Principem nostrum N. quem ad salutem populi nobis à te credimus esse concessum, fac annis esse multiplicem, salubri corporis robore vigentem ad senectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo, Heliseus in fluvio, Ezechias vetulus impetravit in templo. Sit illi regendi auctoritas, qualem Iosue suscepit in castris. & David sumpsit in prælijs, Petrus accepit in clave, Paulus est usus in dogmate. Et ita pastorum officium perficiat in Christi ovili, sicut Isaac perfecit in fruge, & Iacob est dilatatus in grege. Quod ipse præstare dignetur, qui cum patre Deus æterna gloria sit adiutor tuus & protector: & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam in longitudinem dierum impleat, thronum regni iugiter firmet, & gentem populumque tuum in æternum conservet, & inimicos tuos confusione induat, & super te sanctificatio Christi floreat, ut qui tibi tribuit in terris Imperium, ipse in cœlis conferat præmium: qui vivit & regnat in secula seculorum, Amen. Post concionem Pontifex descendit ad altare, & prosequitur missam more consueto. Et in fine dat benedictionem solemnem dicens: *Sit nomen domini.* Et publicantur immediatæ indulgentiæ per unum ex Diaconis assistentibus, sive plenaria, sive ut Pontifici placuerit. Tum Cardinales & Prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas cappas. Pontifex verò dimissis missalibus indumentis, accipit pluviale, & mitram pretiosam. Et cum Imperatore descendit ad gradus Basilicæ sub eodem baldachino. Si est Dominica *Lætare Hierusalem*, Pontifex sinistra portat rosam auream, dextra benedicit assistentibus atque hinc elevantibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem auream rosam Pontifex, antequam ad Ecclesiam descendat, in camera papagalli benedicit cum balsamo & muscho, quod in singulis annis fit in tali die, prout inferius in suo loco plenè scribemus. Si verò esset alius dies, dextra sicut sinistra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus à sinistris retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate elevabit fimbriam à dextris. Caudam verò portabit major Princeps, & si erit Rex. Principes vel Rex & Prælati, qui venerunt cum Cæsare, dum missarum & coronationis solennia fiunt, semper Cæsarem sequuntur. Et cum ipso in suo suggestu constituunt semper. Et similiter, qui cum Augusta, eam semper comitantur assistuntque. Quæ finita missa, dimissis Pontifice & Imperatore in Ecclesia, ad domum suam cum suis revertitur.

Caput IIII.

Processio Pontificis & Cæsaris per Urbem.

Cæsar cum corona in capite, sceptro & pomo in manibus ad latus Pontificis incedens, nisi illius manu ducatur (quia tunc pomum vel sceptrum tantum in sinistra retineret) cum ad finem graduum pervenerit, traditis sceptro & pomo

pomo uni ex suis, prævenit ad equum Pontificis, & in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices Pontifex in terris gerit, tenet stapham, quo ad Pontifex equum ascenderit. Et deinde accepto equi freno per aliquot passus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc civilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulùm modestè recusare: & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in personam suam, sed illius cujus locum tenet, recipiendo permittit illum aliquantulum progredi. Tum firmat se, & nullo pacto permittit Cæsarem ulterius ire. Qui mox conscenso equo suo accedit ad sinistrum latus Pontificis, & sub eodem baldachino equitat, & hoc ordine procedunt. Primum præcedant familiæ Cardinalium, cum suis valisiis: & simul mixtæ familiæ Prælatorum, Principum, & omnium curialium tam Cæsaris quàm Pontificis. Deinde duo cum valisiis Pontificis. Inde familiares domestici Imperatoris, & post eos familiares Papæ. Tum Nobiles, & Barones, & Comites minores utriusque, equus cum scala Papæ: tum [illegible]lla rubea, quæ duodecim cursores portant: Deinde vexillum Populi Romani, vexilla Imperii, vexillum Papæ, vexillum Ecclesiæ, vexillum Crucis, cum vexilliferis armatis & ornatis, ut in coronatione Papæ. Hos sequuntur duodecim equi phalerati sine sessoribus: deinde quatuor nobiles portantes pilea ex cramisino quatuor Papæ cum baculis. Quibus succedunt advocati, & secretarii mixtim, secundum prioritatem officii procedentes, cum suis capuciis circa collum: quos etiam præcedunt Secretarii Imperatoris. Tum sequuntur Cubicularii etiam cum suis capuciis: inde Acoluthi clerici Cameræ Apostolicæ, & post eos statim Auditores cum rochetis & cappis. Deinde Subdiaconi cum cruce Papali, cum galero indici coloris, & cum aliis Subdiaconis cum cappis, ut alii. Tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes: deinde equus albus phaleratus cum tintinnabulo portans Sacramentum: & supra illud Sacramentum baldachinum per cives Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, sive per duodecim beneficiatos S. Petri cum super pelliciis. post Sacramentum equitat Sacrista cum ferula alba. Inde si qui sunt maximi Domini, Principes, aut Duces. Principes Electores immediatè ante Cardinales procedunt: & si quis adesset frater aut filius Imperatoris, iret medius inter iuniores Diaconos Cardinales. Rex erit à sinistris Episcopi Cardinalis: & si plures adessent Reges, locarentur cum aliis Episcopis Cardinalibus. Sequuntur duo Diaconi Cardinales assistentes Pontifici. Et si cum Cæsare essent duo Principes Electores, qui præferrent gladium & pomum Cæsaris, isti deberent ire immediatè ante Cæsarem, sicut Diaconi ante Pontificem. & quando via esset arcta, irent ante ipsos Diaconos assistentes. Si verò non sint Principes Electores, qui portent illa, videlicet gladium, pomum, seu sceptrum (nam alterum istorum duorum portabit Imperator) illi duo vadant simul cum subdiacono qui portabit crucem, & illum in medio habeant. Sequitur Pontifex sub baldachino, & Imperator cum sua corona & imperiali habitu à sinistris. Post Pontificem sequuntur duo Cubicularii secreti cum serviente & mitra: & duo Medici cum secretario, si non sit Prælatus. Et post Imperatorem duo Camerarii sint cum uno secretario cum umbella. Deinde Prælati assistentes Papæ. Et si quis Archiepiscopus Elector Imperatoris adesset, iret ante assistentes Papæ. Post quos ibunt Prælati assistentes sive Consiliarii Imperatoris, cum cappis & galeris, ut alii Prælati: alias non irent inter cappatos. Sequuntur deinde Prælati, Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii & Abbates, Cappati & Pileati: & de-

mam alii curiales togati, tam Papæ quàm Cæsaris. Hoc ordine recta via per campum Floræ & Judæorum plateam ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedim. Et ibi Pontifex, si rosam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat: & ad dextram conversus trans Tiberim cum suis omnibus ad Palatium revertitur. Cæsar autem via qua sibi melius placet, rosam manu gestans, ad pontem Adrianum redit: ubi viros complures & de se optimè meritos equestri dignitate insignire solet.

Quo facto ad Lateranum cum suis progreditur. Canonici & Capitulum Ecclesiæ supplicabundi Cæsari in porta principali occurrentes, illum honorificè suscipiunt, & postquam Crucem & reliquias osculatus fuerit, incensant, & præcedentes atq; cantantes: Te Deum laudamus, ad altare majus deducunt: ubi procumbens supra faldisterium orat detecto capite. Deinde surgens osculatur altare: tum resumpta corona recipitur in Canonicum & fratrem Ecclesiæ Lateranensis, & Canonicos omnes recipit ad osculum pacis. Quibus finitis, ascendit ad Palatium Lateranense, & cum suis celebrat solenne convivium suis moribus & ceremoniis. Deinde ... placet, recurrit ad Palatium Apostolicum ad cameras suas.

Caput V.

De Coronatione Imperatricis sine Imperatore.

Imperatrix si venit Romam pro corona Imperiali suscipienda sine Imperatore, vel quod non potuit venire cum eo, vel quod post ejus coronationem ei est conjuncta, hoc ordine coronabitur. Die qua Urbem intrabit, procedent ei obviam nobiles & officiales Urbis, & ordines Curiæ, ut de Cæsare dictum est. Sacer Senatus ante portam Urbis eam expectabit, & media inter duos Cardinales Diaconos introducetur. In fine autem & sub baldachino, clero cum processione in porta illi occurrente, ducetur ad Pontificem: qui eam in publico consistorio in prima aula ad pedis & manus osculum recipiet, ut alii Reges recipi consueverunt. Non tamen sedebit inter Cardinales, sed post osculum pedis & manus discedet ad suum hospitiū. Deinde parabitur in Ecclesia S. Petri suggestus extra cancellos pro Imperatrice: & dicta die Pontifex procedet ad Ecclesiam, supplicatione præeunte, sub baldachino, & paramentis tempori congruis ascendit ad altare, orat, sedet. Interim duo juniores Diaconi Cardinales cum suis cappis laneis ducunt Augustam ad Ecclesiam. Et prior Episcopus Cardinalis cum pluviali, stola, & mitra accedens in tempore expectat eam in porta Ecclesiæ principali; & ibi super eam genu flectentem deposita mitra legit hanc orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando potius eligis; & qui infirma mundi quæcunq; ut fortia confunderes, eligenda decrevisti, quique etiam gloriæ virtutisq; tuæ triumphum in manu fœminæ Iudaicæ olim plebi de hoste sævissimo assignare voluisti: Respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, ut supra hanc famulam tuam N. quam supplici devotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplices, eamq; dextera tuæ potentiæ semper & ubiq; circumda: & ut done tui numinis undiq; firmiter adjuta*

adjuta, ut visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat; ut una cum sacra Rebecca, Lea, atq; Rachele, beatis reverendisq; fœminis, fructu uteri sui fœcundari seu gratulari mereatur, ad decorem totius Imperii, statumq; S. Ecclesiæ regendum nec non protegendum. Per Christum dominum nostrum, qui ex intemerata B. Mariæ virginis alvo nasci, visitare, & renovare dignatus est mundum. Qui tecum vivit & gloriatur Deus in unitate Spiritus Sancti, per immortalia secula seculorum, Amen. Ducitur deinde ad confessionem B. Petri, & procumbit supra faldisterium sibi in eo loco paratum. Et à Subdiacono Apostolico fit Litania: & ea finita prior Presbyterorum cum suis paramentis ad confessionem descendens, stans sine mitra, dicit super eam, *Pater noster*: & deinde: *Et ne nos inducas in tentationem.* Respond. *Sed libera nos à malo,* Vers. *Salvam fac ancillam tuam Domine.* Resp. *Deus meus sperantem in te.* Vers. *Esto ei quæsumus Domine turris fortitudinis.* R. *A facie inimici.* Vers. *Nihil proficiat inimicus in ea.* Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus Vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Prætende quæsumus Domine famulæ tuæ cœlestis dexteram auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, consequi mereatur. Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio & oratio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Finitis orationibus revertitur Presbyter ad locum suum, & prior Episcoporum Cardinalium procedit ad altare S. Mauritii, quem Augusta media inter Diaconos sequitur. Et ibi ante altare Episcopus ipse inungit illam stantem de oleo exorcisato brachium dexterum & scapulas, stans cum mitra dicens: *Spiritus Sancti gratia nostræ humilitatis officio copiosa in te descendat, ut sicut manibus nostris licet indignis oleo materiali oblinita pinguescis exterius, ita eius invisibili unguine delibuta impinguari merearis interius, eiusq; Spirituali unctione perfectissimè semper imbuta, & illicita declinare tota mente & spernere discas & valeas, & utilia anima tua jugiter optare atq; operari queas, & opereris auxiliante Domino nostro Iesu Christo: qui cum Patre vivit & regnat in unitate &c.* Reducitur deinde ad suggestum suum Imperatrix, & Cardinales revertuntur ad Pontificem, & Diaconi quidem depositis cappis capiunt paramenta sibi convenientia, & faciunt reverentiam Pontifici. Deinde Pontifex procedit ad altare per supplicationem. occurrunt tres Presbyteri, cantantur introitus à cantoribus, & proceditur in Missa usque ad graduale. Imperatrix à Diaconis illis quamvis paratis ducitur ante Pontificem: qui surgens deposita mitra super eam ante se genuflexam dicit hanc orationem: *Deus qui solus habes immortalitatem, lucemq; habitas inaccessibilem, cujus prudentia in sua dispositione non fallitur, qui fecisti ea quæ futura sunt, & vocas ea quæ non sunt, qui superbos æquo moderamine de principatu ejicis, atq; humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester reginam Israeliticæ causa salutis de captivitatis suæ compede solutam ad Regis Assueri thalamum regniq; sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ benedictione, Christianæ plebis salutis gratia, ad dignam sublimemque Imperatoris nostri copulam & Imperii sui participatum transire concedas, & ut Imperialis fœdere conjugii semper permanens pudicitia proximam virginitati palmam continere queat: tibiq; Deo vivo ac vero in omnibus & super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Deinde sedens cum mitra, imponit illi tiaram cum corona Imperiali allatam sibi ex altari, ut diximus de Imperatore, & dicit: *Officio nostræ indignitatis in Imperatricem solemniter benedicta, accipe coronam Imperialis excellentiæ; quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus*

capiti tuo imponitur. Vnde sicut auro & gemmis redimita nitet, ita & interius auro sapientia virtutumq; gemmis decorari concedat: quatenus post occasum hujus seculi cum prudentibus Virginibus sponso perenni Domino Iesu Christo digne & laudabiliter occurrens regni cælestis aulæ ingredi merearis januam, eodem Domino nostro auxiliante, qui cum Patre &c. Coronata Imperatrix mox osculatur pedem Pontificis cum corona, & surgens reducitur à Diaconis ad suggestum: & cum cantatur deinde offertorium, revertatur ad Pontificem, & illi offerat aurum quantum placet. Deinde si vult communicare de Sacramento altaris (ut congruum est) procumbat supra faldisterium ad partem convenientem situm (ut superius diximus) & oret, quousque sit tempus, sine corona tamen: & cum Pontifex in sede sua eminenti communicaverit, ducatur Imperatrix sine corona ad ejus pedes, & communicet, osculeturque manum Pontificis, & descendens ad altare purificet cum vino. Deinde assumpta corona reducetur ad suum suggestm. Et nota quod Imperatrix deducetur semper eundo, & redeundo ab illis duobus Diaconis, sive paratis sive non paratis: & illam sociabunt sui Prælati, & proceres, atque matronæ & aliæ mulieres. Finita missa Imperatrix deducatur ad suum hospitium.

Caput VI.

De Coronatione Imperatoris absente Papa.

SI quando autem acciderit, quod propter absentiam summi Pontificis ab urbe Cæsar non posset ab ipso Pontifice coronari, consuevit Pontifex mittere ad Urbem aliquem Episcopum Cardinalem, qui simul cum legato Apostolico qui Urbi præest, Imperatorem electum coronet. Si autem legatus esset iste Episcopus Cardinalis, non esset necessarium mittere alium Episcopum, sed quemcunq; vellet alium Presbyterum Cardinalem. Et tunc procedetur hoc modo.

Electus Imperator ad Urbem veniens pro corona Imperiali, habebit obviam Barones, nobiles, officiales, civesque Urbis, & officiales curiæ Romanæ, & remanebit extra mœnia illa nocte, ut supra dictum est. Sequenti die intrabit per portam sub arce S. Angeli, quæ (ut diximus) non est Collina, cum suis Principibus ordine prædicto. Et in porta recipietur à vicario Pontificis, cum Prælatis, & clero Urbis in modum supplicantium paratis. Et deducetur ut supra ad gradus Basilicæ S. Petri, ibique non super suggestum sed ante primas portas recipietur ad osculum tantum per Episcopum Cardinalem coronatorem, & legatum, qui ibi aderunt cum aliis Prælatis curiæ parati cum pluvialibus & mitris. Aderunt etiam cum Cardinalibus officiales curiæ, Subdiaconi, Auditores, Acoluthi, & si qui sunt alii, & etiam Barones, aliiq; nobiles Romanæ Ecclesiæ. Et electus statim post osculū offeret aurum duobus Cardinalibus, quod offerre debet Pontifici, & dicat hæc verba: *Si sanctissimus Pater Dominus noster N. Pontifex præsens hic esset, offerrem illi aurum istud præsens: sed per ejus absentiam offero ipsum vobis Dominis Episcopo & Legato Cardinalibus, recipientibus illud vice & nomine dicti Domini nostri Papæ.*

Quo facto intrabunt porticum, & si tunc erit procedendum ad solemnitatem coronationis, quod commode & decenter fieri potest, ibi supra altare S. Mariæ in Turribus præstabit juramentum fidelitatis in manibus Cardinalium. Et similiter si aliud

si aliud juramentum esset innovandum seu confirmandum, tunc immediatè innovabit. Deindè recipietur ad Canonicum Ecclesiæ S. Petri, ut superius dictum est. Intrabit deinde Ecclesiam, & ibi ante portam argenteam Episcopus Cardinalis dicet super eum primam orationem. Deinde ducitur ad capellam S. Gregorii ad capienda sua ornamenta, & Episcopus Cardinalis vadit ad altare mains, & ibi super faldisterium capit sandalia, & paramenta omnia Pontificalia. Et nota quod debet habere expresse facultatem à Pontifice super altare B. Petri celebrandi, ut moris est. Cæsar indutus imperialibus indumentis venit ad medium Ecclesiæ, & ibi super eum legatus Apostolicus dicet secundam orationem. Veniet deinde ad confessionem B. Petri, & procumbet in faldisterio: & Diaconus qui servit in Missa facit super eum Litaniam, orationem autem cum versiculis & Pater Noster dicet legatus Apostolicus. Deinde ducetur ad altare S. Mauricii, & ibi inungetur à Cardinali celebrante, tam ipse quàm Augusta, si adest, cum orationibus oportunis. Revertentur deinde ad altare, ut facta confessione Imperator ad suggestum sine osculo pacis, ad faldisterium suum revertitur. Et proceditur in missa usque ad graduale. Dum cantatur graduale, Imperator descendit ad altare, & celebrans Cardinalis ante altare stans cum mitra, gladium sumit de altari, & illum nudum Imperatori tradit, dicens: *Accipe gladium* &c. Et idem dicit Legatus, submissa tamen voce: Dec eidem mox pomum & sceptrum cum sua oratione Ecclesiæ modo. Mitras autem & coronas imperiales ambo imponent Cæsari & Augustæ. Sed legatus alta voce profert verba: *Accipe signum* &c. Et celebrans dicit eadem voce submissa.

Coronati Augustus & Augusta revertuntur ad suos suggestus sine osculo pacis: & ad offertorium veniunt cum coronis & habitu Imperiali. Et oblato auro revertuntur ad suggestus, neque ministrabit Imperator calicem & ampullam, sed tempore congruo veniet ad communionem sine manto & coronis. Post communionem Imperatori non datur osculum pacis à celebrante, sed revertetur ad suum suggestum.

Imperator finita missa ipse cum suis & cum Legato si placebit, ibit Lateranũ, & ibi perficiet suas solennitates. Ceremoniæ omnes, quæ pertinent ad personam Pontificis, dimittantur, ut oscula pedum, manuum, & oris. Quin etiam nec in missa illi deserviet Imperator, quod Pontifici præstitisset præsenti: nec stapham illi, dum equum inscendit, tenet, nec equum ducit.

Hæc ferè omnia servata fuerunt, cum Carolus IIII. coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum Episcopum Hostiensem, quem ex Avione Innocentius VI. nuncium Apostolicum ad hoc miserat, & per Dom. Ægidium de Albornozio Tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem ac Legatum Apostolicum in Italia, Anno Salutis M. CCC. LVI. sexto nonas Aprilis: ut ex literis ipsius Karoli, quæ adhuc extant, & registratæ sunt in archivis Ecclesiæ, publicè patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publicè protestarentur Domino Imperatori, quod propter omisionem reverentiarũ, obsequiorum, & multarum ceremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquo modo derogatum privilegiis & honorificentiis Romanæ sedis & suorum successorum: & de hac protestatione & consensu Imperatoris exigerent quadruplices literas regalibus & Imperatoriis sigillis munitas, sicut & factum est.

Nn

Pagellæ huic vacuæ non abs re visum est inserere Elogium FRIDERICI III. Rom. Imper. à doctissimo quodam Viro, antehac in lucem editum.



Ualis gemma micans, fulvum quæ dividit aurũ,
Aut collo decus aut capiti, mirabile visu:
Talis erat nulli veterum virtute secundus.
Præterea famâ multis memoratus in oris,
Dum paci medium se offert, longeq; recusat
Arva aliena jugo premere, atq; avertere prædas:
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis,
Heu pietas, heu prisca fides, & vivida virtus!
Dum bello sævit toto Mars impius orbe,
Vicinæ & ruptis inter se legibus Urbes,
Arma ferunt, squallent abductis arva colonis:
Hos inter motus manet imperterritus ille
Et bello audacis populi vexatus & armis,
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Sed Pater Omnipotens superis concessit ab oris
Auxilium, requiem pugnæ, rebusq; salutem.

FINIS.

